

~~M. g. 3~~


Ddel. Vg 3 718
ls

1+2 verbunden!

~~Pa.~~

~~2. F. VI~~
54.






Fragment of text from the adjacent page, showing a vertical column of characters, possibly a page number or a decorative element.



2

4



CATE
 CHESIS PVERORVM, IN
 fide, literis & moribus. Ex proba
 tissimis quibusq; Authoribus.
 Per Othonem Brun-
 felsium.

*

FRANCOFVRTI, Apud
 Christianum Egenolphum.

☙

plattner Barthe: Oppen



Errata quaedam hoc modo corrige.
Folio 10. facie. 1. linea. 17. lege det pro de.
Ibidem sequenti linea, lege metus pro motus.
Folio. 48. fa. 2. linea. 28. lege nouisse pro monuisse.
K. toto corrige numerum foliorum sic 73. 74.
75. 76. 77. 78. K. 1. fa. 1. linea. 21. lege laxa
pro, Consule exemplar. Lin. 24. lege totis uiri-
bus hoc agens. Li. 25. lege, de refectione. Fa-
cie. 2. lege ab initio. Cœna. Li. 10. le. immodica.
Li. 15. le. remittendis que. Li. 19. le. sphaera. Li.
22. le. locustarum Li. 24. le. gladiatura. Fo.
74. Fa. 1. le. dehonestant. Li. 18. le. uernaculam.
Fa. 2. li. 20. le. dimissus. Fo. 75. Fa. 1. li. pe-
nult. le. grauitatis que. Fa. 2. li. 14. le. preciosa.
Li. 16. le. hæreat. Li. 22. lege, spe. Li. 24. le. la-
cessito. Li. 26. le. ipse. Fo. 76. fa. 1. li. 16. le.
sic. Li. 20. le. Ebrietate. Fo. 77. fa. 2. li. 17. le.
canendi. Li. 26. le. interrogatus. Fo. 78. fa.
1. li. 6. le. Animaduertet. Li. 11. le. gressus. Li.
15. le. appropinquas. Fa. 2. li. 10. lege, aloc &. Li.
22. lege, in interiora. Fo. 79. fa. 1. li. 13. le. cle-
mentia. Li. 14. le. pollicere. Li. 25. le. ne tra-
das. Fa. 2. li. 11. le. insideat. Li. 17. le. futura.
Fo. 80. fa. 1. li. 2. le. buxæ. Li. 11. le. alteri-
us. Li. 15. lege, Præmium, & quibus. Li. 20. le.
uicisse gaudeat. Li. 21. le. studia. Fa. 2. li. 1. le.
probe. Et si qua alia sunt leuicula.

CLA



CLARISSIMI

MIS SENATORIBVS, D. IACOBO
Sturmio, D. Nicolao Cnyebfio, & D. Iacobo Mey
er, inclitæ urbis Argentinæ Scholarum
Præfectis, Dominis suis obseruandis
simis, Otho Brunfelsius S. D.

MARCVS T. C. in ea actione quam con-
tra Verrẽ instituit, libro 5. inter alia, que
maximo probro illi obijcit, etiam illud est, quod
filium suum sic educarit, ut nullum unquam pudici-
cum uel sobrium conuiuium uiderit, sed inter epu-
las per triennium, inter impudicas mulieres, & in-
temperantes uiros uersatus sit, ut si maxime uolu-
isset, tamen non potuisset, uel prudentior euadere
uel melior. Quibus in rebus, inquit, non solum fi-
lio, uerum etiam Reipublicæ fecisti iniuriam.
Susceperas enim liberos, non solum tibi, sed etiam
patriæ, qui non modo tibi uoluptati, sed etiam qui
usui aliquando Reipublicæ essent. Eos instituere,
atq; erudire, ad maiorũ instituta, atque ad Ciuita-
tis disciplinam, nõ ad tuas turpitudines debuisses.
Haberet respub. muneris aliquid abs te. Christia-
na prorsus ab homine Aethnico sententia, digna,
quam omnibus *περὸν ἵστον*, thalamis, cubilibusq;

suis, imò ut Hebræi suis phylacterijs ac fimbrijs in
scriptam aureis characteribus habeant, omnes pa-
tres & matres familias, omnes maiores natu, &
pædotes, omnes principes & magistratus. Cū
enim tam multa sint religionis officia, & opera
bona, tamen nullum, quod æque Christianos parē-
tes ornet ac deceat, nullum, quod subinde seuerius
in lege præceptum, quàm quod de liberis præcipi-
tur educandis, uidelicet ut in Lege Dei, & bonis
moribus eos institui curemus. Ne obliuiscaris enī
inquit, uerborum quæ uiderunt oculi tui, & ne ex-
cidant de corde tuo, cunctis diebus uitæ tuæ, doce-
bis ea filios tuos & nepotes. Et rursus, Ponite
hæc uerba in cordibus & in animis uestris, & sus-
pendite ea pro signis, in manibus, & inter oculos
uestros collocate, Docete filios uestros, ut illa me-
ditentur. quando sederis in domo tua, & ambula-
ueris in uia, atq; surrexeris, scribes ea super po-
stes & ianuas domus tuæ, ut multiplicentur dies
tui, & filiorum tuorum in terra &c. Quæ tam cre-
bra, & tam passim sunt in scripturis sanctis, ut ni-
hil illa uideatur tam uelle, & à nobis efflagitare,
quàm probam, & piam iuuentutis institutionem,
Et planè ita habet, quod multæ etiam Aethnicorū
literæ testantur, uidelicet non Dominos esse nos li-
bero

berorum nostrorum, sed planè tutores, sed œcono-
mos, neq; fortuitu eos prouenire quibuslibet, sed
donum esse Dei, per quod fidem nostram & picta-
tem exerceamus, cuius uillicationis, & accepti ta-
lenti rationem aliquando grauissimam simus red-
dituri. Quod si damus, nihil minus erunt quàm
christiani, qui ad hoc tantum prolibus student, ut
eos uel hæredes habeant, uel imagines suas, & ces-
ras posteritati transmittant, neue pereant genea-
logiæ & nomina illa uana Catonum. Nec ita mul-
tum etiam à scelerati ueris absunt impietate, di-
gni qui publica infamia notètur, & in quos ab ma-
gistratibus animaduertatur, uel æthnici etiam ho-
minis sententia. Vidit id procul dubio, prudentissi-
mus Senatus noster, qui exacto anno publicas scho-
las instituit, stipendia & præmia dedit, uiros unde-
cunq; doctissimos accersiuit, qui iuentutem for-
marent, quiq; etiam Latine, Græce atq; Hebraice
prælegerent, Idq; Senatus Consultum, ne unquam
temeraretur, sed ratissimum haberetur, Prudenti-
as uestras subrogant, simul id negotij dans, si
quid scrupuli suboriretur, si qua in re quæstio fie-
ret, uel de doctis uiris adhibendis, uel de pecunia
suppeditanda, ad uos recurreretur, penes uosq;
summa rerum esset, nimirum tanquam apud tute-

lares quosdam Deos, uel potius Studiornm Mecœ-
nates, quòd & ipsi quoq; omnigenis literis & uir-
tutibus ornati sitis. Huius tam salubris instituti ne
ego expers essem, prudētiss. uiri, studium & cona-
tum uestrum pro mea uirili, adiuuandum putauī,
maxime quando Carmelitanae scholæ gubernacu-
la mihi commendastis, cui ut fidelem quoque anti-
stitem me exhiberem, *κατ' ἑξῆς* hanc conscripsi,
memor uulgati illius, *Σπάρτην ἴλαχες, ταύτην
κόσμει.* & quòd sciam id tandem fidi præcepto-
ris munus esse, sedulo id meditari, non solum quā
studiosos, et eruditos, sed quām pios etiam & mo-
rigeros reipub. adulescentes adfingat. Contraxi
igitur in uolumen quicquid præcipuum erat in au-
toribus, de iuuentute instituenda, & Prud. Vest.
nuncupauimus, non solum ut perspecta fieret dili-
gentia nostra, qua consultum reip. uestræ uolu-
mus, uerum etiam ut si alijs quoq; magistris scho-
larum nostrum probaretur institutum, haberent
quod imitarentur, sin uero alicubi aberassemus,
ipsi meliora nos docerent, quod adeò non feremus
ægre, ut multam etiam gratiam simus habituri.
Postremo ut animum quoque uobis faceremus,
si Rempublicam uelitis habere stabilem, spectata-
tam, omnibusque admirabilem, si bene mereri
de

de posteris & filijs uestris, denique imperare post
hac, non beluis & pecudibus, sed modestissimis, &
innocētissimis ciuibus, ne unquam ab opere uestro
bene cœpto desinatis, quin potius omnes uestros co
natus eò intenderitis, adeoq; omnem illum impetū
in meliorem statum omnia componendi, ut ab iuue
tute auspicia sumatis, id erit Deo Opt. Max. tum
gratum, ut nullum aliud etiam ille à uobis obsequi
um postulet, & præter gloriam immortalem, eti
am coronam illam reportabitis iustitiæ, quã
reddet Dominus in die illo omnibus, qui am
plificant & promouent gloriam ipsi
us, Valet Argentorati Calendis
Martij. Anno supra Millefi
num Quingentesimum
Vigesimo nono.

*

Δ Δ

INDEX.

INDEX VBI a PRIOREM, b VERO
alteram chartæ faciem notat.

QVAE TOMI PRIMI.

D E optimo modo docendi & conditionibus boni præceptoris.	1. a
Ex Quintiliano de eruditōe præceptoris.	ibidem
Optima primum præcipienda.	ibi. b
Quomodo à græcis exordiendum.	ibi
De ætate instituendi pueros	ibi
Sero uenisse ad literas obest	2 a
De studiorum infantia	ibi b
Optimis præceptorib. pueri primum tradendi.	ibi
Elementa prima quomodo tradenda	3 a
De combinatione syllabarum	ibi b
Festinare in primo lectione nocet	4 a
Quas sententiâs primum præscribere expediat	ibi
Vtrum utilius domi an in scholis erudiantur	ibi b
Parentes nonnunquam sunt causa perditionis pu erorum.	5 b
Obruisse puerum prælectionibus nocet	6 b
Indiligenti præceptorî pueri ne tradantur	ibi
Turba obruitur præceptor	ibi
Classes puerorum	7 b
Ne multa simul proponantur	ibi
Qua ratione ingenia puerorum dignoscantur	s b
	Inge

INDEX.

Ingenia quæ raro ad frugem perueniunt	ibi
Varietati ingeniorum præceptor se debet attemperare.	9 a
An consultum sit in pueros uerberibus animaduertere	ibi b
Bapt. Guarini iudicium de pueris instituendis	10 b
Pueri non acriter uerberentur	ibi
Occulte aliena pro suis afferre perniciosum	ibi
Blanditiæ quantum ualeant	ibi
Ignauia quantum dedecus	ibi
Turba Abcdariorum præceptor molestia	11 a
Multa scribere ex ore præceptoris prodest.	ibi b
Generales formulæ primum proponendæ	12 a
De syllabarum & uersuum cognitione	ibi
De utilitate græcarum literarum, & quo compendio sint addiscendæ	13 a
Iudicium de authoribus	ibi b
De Homero	ibi
Scribere græca expedit	14 a
De Cicerone	ibi b
De Valerio	15 a
De Iustino	ibi
De Vergilio	ibi b
De Lucano	ibi

A s

INDEX.

De Statio Ouidio	ibi
De Tragœdijs Senecæ	26 a
De Terentio. Iuuenale	ibi
De Plauto. Horatio. Persio.	ibi b
De tractatu Sphæræ, Pompo. Mela. Higino. Soli- no. Strabone. Ptolomæo.	17 a
De Rhetorica ad Herennium	ibi
De Quintiliano, Philosophia morali, Dialectica, et Aethica, Officijs & Tuscula. quæsti. Cic.	ibi. b
De iure Ciuile	18 a
Iudicium Erasmi de ratione studiorum	ibi
Optima primum tradenda	ibi
Fabule. Cosmographia	ibi b
Antiquitas	19 a
Astrologia. Prudentius.	ibi b
Pueri statim latina loquantur	ibi
Formule loquendi proponendæ	20 a
De Thematis proponendis. Themata	ibi b
Præceptorum assiduò uersandum in authoribus	22 a
Autores quomodo tractandi	24 b
Tragœdia. Comœdia	27 a
Cicero de claris oratoribus	28 a
Optimis adsuescendum	ibi b

QVAE TOMI SECUNDI.

Discendi cupiditas docet	29 a
	Nil

INDEX.

Nil sine magno labore natura dedit mortalibus	ibi b
Optimus thesaurus uirtus & eruditio	ibi
De præceptore colendo	ibi
Ea spe discendum ut ipse aliquando doceas	30 a
De legendis commentarijs	ibi b
De exercitio styli	ibi
De lectione authorum priuata	ibi
Autores quomodo excerpenti	31 a
Quomodo græce discendum sine præceptore	ibi
Frequentatio et assiduitas omnium disciplinarum magistræ	ibi b
Utilitas lectionis claræ	ibi
Quid potissimum spectandum in lectione	32 b
Historiæ quomodo legendæ. Poëtica quomodo	ibi
De ordine instituendo	33 a
Incerta lectio plurimum obest	ibi b
Ratio studij Ro. Agricolæ	34 a
De delectu studiorum. Studia inutilia	ibi
Artifitium styli facile assequendi	ibi b
Modus repetendæ lectionis ex Eras. Rote.	ibi
De officio discipulorum ex Quintiliano	36 a
De ediscendo	ibi b
Qui primi legendi	37 a
De præceptore eligendo & obedientia illi exhibenda	ibi b
	Signa

INDEX.

Signa optimæ indolis ex Erasmo atq; Politi.	38 b
De studiorum omnium fine	39 a
De Ratione studij Eras.	ibi
Optima primum discenda	ibi b
Latina & græca grammatica discenda	ibi
Iudicium de grammaticis	ibi
Grammaticis succedant probati authores	40 a
Iudicium de authoribus	ibi
A lectione authorum ad cognitionem rerum per- gendum est	ibi b
De Laurentio Valla	ibi
Figure & Loci	41 a
Quo iudicio authores legendi	ibi
De exercitio styli	ibi b
De repetitione	ibi
Docere alios præstat	42 a
Iudicium Senecæ de authoribus legendis	ibi
Exhortatio ad studia literarum	43 a

QVAE TOMI TERTII.

Loci communes	44 b
Articuli fidei	45 b
Sequelæ	47 a
Paradoxa quæ mox à primis annis pueris sunt in stillanda	ibi. b
A quibus pueri sunt absterrendi & auocandi	48 a
	De

INDEX.

Demysterio signorum	ibi
Summa Mosaicæ Legis	ibi
Colophon Euangelij Christi ex Mat. cap. 5.	50 a
Ex Epistola ad Rom.	57 a
Decem præcepta	58 b
Vis Legis	59 a
Orationis Dominicæ paraphrasis	60 b
Historiæ quædam ueteris testamenti, quæ pueris crebro recitari debent	62 a
Remedia aduersus omnia uitia ex Eras. Ro. ibi	ibi b
Contra libidinem	63 b
Contra ambitionem & superbiam	65 b
Aduersus iram & uindictæ cupiditatem	66 b

Q V A E T O M I Q V A R T I.

Quomodo mane surgendum	67 a
Oratio ante ingressum ludi dicenda	ibi b
De diligentia adhibenda in ludo	68 b
De reditu ex ludo	69 a
De apparatus mensæ	ibi
Consecratio mensæ latine	ibi b
Græce, Alia	ibi
De remotione mensæ	70 a
Hymnus ac gratiarum actio post sumptū cibū ibi.	ibi b
Græce alia	ibi b
De gestibus in ministerio mensæ.	71 a

De mori-

INDEX.

De moribus obseruandis in conuiuio.	ibi b
De his quæ post prandium	73 a
De Refectione priuata	ibi
De discretione in studijs & animi laxatione	ibi b
Monitoria in communibus congressibus	74 a
De uitando prauorum consortio	ibi b
De bonorum societate ambienda	75 a
De uerecundia adhibenda in incessu	ibi
De pudicicia & castitate	ibi b
De uestitu	ibi
Monitoria ad ciuilitatē & conuictū humanum	ibi
De mendacio fugiendo, & dicenda ueritate	76 a
De uitanda ebrietate	ibi
De paruis peccatis uitandis	ibi b
De sustinendis probris & tentationibus, & teme= rarijs iudicijs prauorum	ibi
Adulatores fugiendi	ibi
De disciplina & correptione seruanda	ibi
De ueneratione senum, & quòd probatoribus semper pueri se adiungere debent	78 a
De uerecundia	ibi
De uerecundia adolescentum in conuictu senio= rum, sacerdotum, & parentum	ibi b
De uerecundia in sermone	ibi
De taciturnitate	ibi
De uitanda scortatione	77 a
De reditu post horas Pomeridianas ad domū	79 a
De his	

INDEX.

De his quæ post cœnam	ibi
Oratio ante ingressum lecti	ibi
De meditatione in lecto sub requiem uoetur= nam	ibi b
Institutio puellarum ex epistola diui Hieronymi ad Lætam	ibi
Epistola Diui Augustini de liberorum educati= one	82 a
De ciuilitate morum puerilium ex Eras. Ro.	ibi b
De cultu	87 a
In conuiujs	88 a
De congressibus	92 b
De lusu	95 b
Institutio scholæ nostræ	96 a
De studijs pietatis	ibi
De authoribus	ibi b
De exercitio styli	97 a
De ludis theatralibus	ibi
De linguis	ibi
De mendicis & discolis	ibi b
De inidoneis ad literas & stupidis	ibi
De laxamentis	ibi
De crimine furti	98 a
De mendatio, & nomine Dei prophantao, & im= pudicitia	ibi
De bene	

INDEX.

De beneuolentia & humanitate exhibenda	ibi
De uerecundia & modestia	ibi b
De Musica	ibi
Methodus Abcdarios pueros instituendi	ibi
De concinna lectione	100 b

FINIS.

MELCHIOR CVMANVS

ad Lectorem.

Moribus ingenuam placidis formare iuuentam

Si cupis, ac studijs excolere ingenium.

Nec datur omnigenas Scriptorũ uoluerẽ schedas

Hæc legito, paucis omnia, Lector, habes.

DE

TOMVS PRIMVS.

DE OPTI-

MO MODO DOCENDI, ET CON-

ditionibus boni Præceptoris, placita

Quintiliani, Ciceronis, Plutar-

chi, Guarini, Erasmi. &c

Ex Quintiliano de Eruditi-

one Præceptoris.

IN Pædagogis hoc requiro, ut aut sint eruditi plañe, quam primam esse curam uelim, aut se nõ eruditos sciant. Nihil enim peius est ijs, qui paulum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt, nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & uelut iure quodam potestatis, quo serè hoc hominum genus intumescit, imperiosi, atq; interim se uidentes stulticiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus, siquidem Leonides Alexandri Pædagogus, ut à Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum uitijs imbuit, quæ robustum quoq; & maximum regem ab illa institutione puerili sunt profecuta.

Si cui multa uideor exigere, cogitet Oratorem institui, rem arduam, etiam cum ei formãdo nihil defuerit, præterea plura, ac difficiliora superesse, nã & studio perpetuo, et præstâtissimis præceptoribus, & plurimis disciplinis opus est.



Optima

CATECHESIOS PVERORVM

Optima primum percipienda.

Qua propter præcipienda sunt optima, quæ si quis grauabitur, nõ rationi defuerit, sed homini. Si tamen nõ continget, quales maximè uelim nutrices, pædagogosq; pueros habere, at unus certe sit assiduus, loquendi non imperitus, qui, si quæ erunt ab his præsentente alumno dicta uitiose, corrigat protinus, nec insidere illi sinat, dum tamen intelligatur, id quod prius dixi, bonum esse hoc remedium.

Quomodo à Græcis exordiendum.

A sermone Græcopuorum incipere malo, quia latinus, qui pluribus in usu est, uel nobis nolentibus se præbet, simul quia disciplinis quoq; Græcis prius instituendus est, undè & nostræ fluxerunt, nõ tamen hoc adeo superstitiose uelim fieri, ut diu tantum loquatur græce, aut discat, sicut plerisq; moris est.

Ex hoc enim accidunt, & oris plurima uitia in peregrinum sonum corrupti, & sermonis, cui cum græcæ figuræ assidua consuetudine hæserunt, in diuersa quoq; loquendi ratione pertinacissime durant. Non longe itaq; latina subsequi debet & cito pariter ire, ita fiet, ut cum æquali cura linguam utranq; tueri cœperimus, neutra alteri officiat.

De ætate instituendi pueros.

Quidam literis instituendos, qui minores septem annis essent, non putauerunt, quòd illa primum ætas, & in

TOMVS PRIMVS

Et intellectum disciplinarum capere, et laborem pati non possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt. Nam is primus ὑπεθίχας, in quo libro scriptum hoc inuenitur, negauit eschuius poeta. Sed alij quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem praeceperunt.

Melius autem qui nullum tempus uacare cura uolunt, ut Chrysippus, nam is quamuis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque iam formandam quam optimis institutis mentem infantium iudicat. Cur autem non pertineat ad literas aetas, quam ad mores iam pertinet? Neque ignoro toto illo, de quo loquor, tempore, uix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus, sed tamen mihi qui id senserunt, uidentur non tam discantibus in hac parte, quam docentibus pepercisse.

Quid melius alioquin facient, ex quo loqui poterunt? faciant enim aliquid necesse est, aut cur hoc, quantum cumque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certe quamlibet paruum sit, quod contulerit aetas prior, maiora tamen aliquid discet puer eo ipso anno, quo minora didicisset, hoc per singulos annos prorogatum in summam proficit, et quantum in infantia praesumptum est temporis, adolescentiae acquiratur.

Serouenisse ad literas obest.

Idem etiam de sequentibus annis praecipit, ne

Α α quod

CATECHESIOS PVERORVM

quod cuiq; discendum est, sero discere incipiat, nō er-
go perdamus primum statim tempus, atq; eo minus q̄
initia literarum sola memoria constant, quæ non mo-
do iam est in paruis, sed tum etiam tenacissima est.

Nec sum adeo ætatum imprudens, ut instandum
protinus teneris acerbè putem, exigendamq; plenam
operam. Nam id imprimis cauere oportebit, ne stu-
dia, qui amare nondum potest, oderit, & amaritudi-
nem semel perceptam, etiam ultra rudes annos re-
formidet. Lusus hic sit, & rogetur, & laudetur, &
nunquam non fecisse se gaudeat, aliquando ipso nolenti
doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, &
sepius uincere se putet, præmijs etiam, quæ capit il-
la ætas, euocetur.

De studiorum infantia.

Parua docemus instituendum Oratorem professi,
sed est etiã sua studijs infantia, & ut corporũ mox for-
tissimorum educatio, à lacte, cunisq; initium ducit,
ita futurus eloquētissimus edidit aliquando uagitum,
& loqui primum incerta uoce tentauit, & hæsit cir-
ca formas literarum, nec si quid discere satis non est,
ideo nec necesse est.

Optimis Præceptoribus pu- eri primum tradendi.

Quod si nemo reprehendit patrem, qui hæc non
negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis

TOMVS PRIMVS.

Ed, quæ domi suæ recte faceret, in publicum promit?
Atque eo magis, quòd minora etiam facilius minores
percipiunt? Et ut corpora ad quosdam membrorum
flexus formari, nisi tenera nō possunt, sic animos quo
que ad pleraq; duriores robur ipsum facit? An Philip
pus Macedonum rex Alexandro filio suo prima lite
rarum elementa tradi ab Aristotele summo eius æta
tis Philosopho uoluisset? aut ille suscepisset hoc offi
cium, si non studiorum initia à perfectissimo quoq; o
ptime tractari, et pertinere ad summam credidisset?
Fingamus igitur Alexandrum dari nobis impositum
gremio, dignum tanta cura infantem, quamquàm su
us cuiq; dignus est. Pudeat ne me in ipsis statim elemē
tis etiam breuia docendi monstrare compendia? Ne
que enim mihi illud saltem placet, quod fieri in pluri
mis uideo, ut literarum nomina, et contextum prius
quàm formas paruuli discant.

Obstat hoc agnitioni earum, nō intendētibus mox
animum ad ipsos ductus, tum antecedentem memori
am sequuntur, quæ caussa est præcipientibus, ut etiā
cum satis affixisse eas pueris recto illo, quo primum
scribi solent, contextu uidentur, retro agant rursus,
et uaria permutatione perturbēt, donec literas, qui
instituantur, facie norint, non ordine.

Elementa prima quomodo tradenda.

Quapropter optime, sicut hominum, pariter et
habitus, et nomina edocebuntur, sed quod in literis

A s obest,

CATECHESIOS PVERORVM

obest, in syllabis non nocebit. Non excludo autem id quod est notum, irritandæ ad addiscendum infantie gratia, eburneas etiam literarum formas in lusum offerre, uel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inuenire potest, quod tractare, intueri, nominare iucundum sit.

Cum uero iam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quàm optimæ insculpi, ut per illos uelut sulcos ducatur stilus, nam neq; errabit quemadmodum in ceris (continebitur cum utrinq; marginibus) nec extra præscriptum poterit egredi, & celerius, ac sæpius sequendo certa uestigia formabit articulos, neq; egebit adiutorio manum suam manu superimposita regentis.

Non est aliena res, quæ ferè ab honestis negligi solet, cura bene, ac uelociter scribendi. Nam cum sit in studijs præcipuum, quoq; solo uerus ille profectus, et altis radicibus nixus, paretur, scribere ipsum, tardior stylus, cogitationem moratur, rudis, & confusus, intellectu caret, unde sequitur alter dictandi, quæ ex his transferenda sunt, labor.

De combinatione syllabarum.

Quare cum semper, & ubiq; tum præcipue in epistolis secretis, & familiaribus delectabit, ne hoc quidem neglectum reliquisset. Syllabis nullum compedium est, perdiscendæ omnes, nec, ut plerunq;, dissimilima quæq; earum differendæ, ut in omnibus scribendis.

bendis deprehendantur, qui immo ne primæ quidem memoria temere credendum, repetere, & inculcare diu fuerit utilius, & in lectione quoq; non prope-rare ad continuandam eam, uel accelerandam, nisi cum in offensa, atq; indubitata literarum inter se cōiunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit.

Festinare in prima lectione nocet.

Tunc ipsis syllabis uerba complecti, & his sermo-nē cōnectere incipiat. Incredibile est quantum moræ lectioni festinatione adijciatur. Hinc enim accidit du-bitatio, intermissio, repetitio plus quam possunt aus-dentibus, deinde cum errarunt etiam ijs, quæ iam sci-unt, diffidentibus.

Quas sententias primum præ-scribere expedit.

Certa sit ergo in primis lectio, deinde coniuncta & diu lentior, donec exercitatione contingat emen-data uelocitas. Nam prospicere in dextrum quod omnes præcipiunt, & prouidere non rationis modo sed usus quoq; est, quoniam sequentia intuenti priora discenda sunt, & quod difficillimum est, diuiden-da intentio animi, ut aliud uoce, aliud oculis agatur. Illud nō poenitebit curasse, cū scribere nomina puer, quæ admodū moris est, cœperit, ne hāc operā in uoca-bulis uulgaribus, & forte occurrētibus perdat, pro-tinus enim potest interpretationē linguæ secretioris

A 4 id est,

CATECHESIOS PVERORVM

id est, quas Græci Γλώσσας uocant, dum aliud agitur
ediscere, & inter prima elementa consequi rem po-
stea proprium tempus desideraturam. Et quoniam
adhuc circa res tenues moramur, ij quoq; uersus, qui
ad imitationem scribendi proponuntur, non ociosas
uelim sententias habeant, sed honestum aliquid mor-
nentes, prosequitur hæc memoria in senectutem, &
impressa animo rudi, usq; ad mores proficiet, etiam
dicta clarorum uirorum, & electos ex poëtis maxi-
me, namq; corū paruis cognitio gratior est, quos es-
discere inter lusum licet, nam & maxime necessaria
est Oratori, sicut suo loco dicam, memoria, et ea præ-
cipue firmatur atq; alitur, exercitatione, & in ijs, de
quibus nunc loquimur, ætatibus, quæ nihil dum ipsæ
generare ex se queunt, propè sola est quæ iuuari cur-
ra docentium possit.

Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus quo-
sit absolutius os, & expressior sermo, ut nomina quæ-
dam, uersusq; affectatæ difficultatis ex pluribus a-
sperrime coëuntibus inter se syllabis cathenatos, &
ueluti cōfragosos quàm citatissime uoluant, Χαλεποί
græcæ uocantur. Res modica dictu, qua tamē omissa
multa linguæ uitia, nisi primis eximantur annis, inco-
mendabili in posterum prauitate durantur.

Vtrum utilius domi, an in
Scholis erudiantur.

Sed nobis iam paulatim accrescere puer, & exire
re de

re de gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quaestio est, Vtilius ne sit domi, atq; intra priuatos parietes studentem cōtinere, an frequentiae scholarū, & uelut publicis praeceptoribus tradere. Quod quidem tum ijs, a quibus clarissimarum ciuitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis authoribus uideo placuisse. Non est tamē dissimulandum esse nonnullos, qui ab hoc propè publico more priuata quadam persuasione dissentiant, ij duas praecipue rationes sequi uidentur, unam, quòd moribus magis consulant, fugiendo turbam hominum, et aetatis eius, quae sit ad uitia maxime prona, unde causas turpium factorum saepe extitisse utinam falso iactaretur.

Alterā, quòd quisquis futurus est ille praceptor, liberalius tēpora sua impensurus uni uidetur, quā si eadem in plures partiatur. Prior causa prorsus grauis, nam si studijs quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio uiuendi honeste, quā uel optime discendi uideretur. Sed mea quidem sentētia iuncta ista, atq; indiscreta sunt. Neq; enim esse Oratorem, nisi bonum uirum iudico, & fieri, etiam si potest, nolo. De hac re igitur prius.

Corrumpti mores in scholis putant, nam & corruunt interim, sed domi quoq; et sunt multa eius rei exempla, tam laesa, hercle, quā conseruatae sanctissime utrobiq; opinionis. Natura cuiusq; tantam, cu-

CATECHESIOS PVERORVM

raq; discat, da mentem ad peiorem facilem, da negli-
gentiam formandi, custodiendiq; in etate prima pu-
doris, non minorem flagitijs occasionem secreta prae-
buerint.

Nam & esse potest turpis domesticus ille praecep-
tor, nec tutior inter seruos malos, quam ingenuos
parum modestos conuersatio est. At si bona ipsius in-
doles, si non caeca, ac sopita parentum secordia est,
& praecceptorem eligere sanctissimum quenq;, cuius
rei praecipua prudentibus cura est, & disciplinam,
quae maxima seuera fuerit, licet & nihilominus ami-
cū grauem uirum, aut fidelem libertū lateri filij sui
adiungere, cuius assiduus comitatus etiam illos meli-
ores faciet, qui timebunt, facile erat huius metus re-
medium.

Parentes nonnunquam sunt
caussa perditionis puerorum.

Vtinam liberorum nostrorū mores non ipsi per-
deremus. Infantiam statim delitijs soluimus, mollis il-
la educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos om-
nes & mentis, & corporis frangit.

Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris
repat? Nondum prima uerba exprimit, iam cocū in-
telligit, iam cōchylum poscit, ante palatum eorum,
quàm os instituimus, in lecticis crescunt, si terram
attigerint, e manibus utrinq; sustentium pendent:
gaudemus, si quid licentius dixerint, uerbane Alex-
xandria

TOMVS PRIMVS

alexandrinis quidem permittenda delitijs, risu, & osculo excipimus, nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas, nostros concubinos uident, omne conuiuium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur, sit ex ijs cōsuetudo, deinde natura, discunt hæc miseri antequàm sciant uitia esse, inde soluti, ac fluentes non accipiunt in scholis mala ista, sed in scholas afferunt.

Verum in studijs magis uacabit unus uni. Ante omnia nihil prohibet esse istū nescio quē unū etiā cum eo, qui in scholis eruditur. Sed etiam si iungi utrūq; nō posset, lumen tamen illud conuentus honestissimi tenebris, ac solitudini prætulissē. Nā optimus quisq; præceptor, frequentia gaudet, ac maiore se theatro dignū putat, at uero minores ex conscientia suæ infirmitatis hæere singulis, & officio fungi quodāmodo pædagogorum non indignantur.

Sed præstet alicui uel gratia, uel amicitia, uel pecunia, ut doctissimum, atq; incomparabilem magistrū domi habeat, num tamen ille totum in uno diem cōsumpturus est? aut potest esse ulla tam perpetua discantis intentio, quæ non ut uisus oculorū obtuitu cōtinuo fatigetur? cum præsertim multo plus secreti temporis studia desyderent, neq; enim ediscenti, scribenti, & cogitanti præceptor assistit, quorum aliquid agentibus cuiusq; interuentus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper præcunte uel
inter

CATECHESIOS PVERORVM

interpretante eget, quando enim tot authorum notitia contingeret? ergo modicum tempus est, quo in totum diem, uelut opus ordinetur. Ideoq; per plures ire possunt, etiam quæ singulis tradenda sunt, pleraq; uero hanc conditionem habent, ut eadem uoce ad omnibus nominibus no-
Obruisse tum diem, uelut opus ordinetur. Ideoq; per plures
puerum ire possunt, etiam quæ singulis tradenda sunt, pleraq;
prelecti uero hanc conditionem habent, ut eadem uoce ad om-
ni- bus no- mnes simul perferantur.

act- Taceo de positionibus, & declamationibus rhetorum, quibus certè, quantuscumq; numerus adhibeatur, tamen unusquisq; totum feret.

Non enim uox illa præceptoris, ut cœna minus pluribus sufficit, sed ut sol, uniuersis idē lucis calorisq; largitur, Grammaticus quoq; si de ratione loquendi disertauerit, quæstiones explicet, historias exponat, poëmata enarret, tot illa discent, quot audient.

Indiligen- At enim emendationi, prælectioni q; numerus ob-
ti præce- stat, sit incommodum, nam quid ferè undiq; placet?
ptori pue- mox illud comparabimus commodis. Nec ego tamen
vine tras committi puerum uolo ubi negligatur.

dentur. Sed neq; præceptor bonus maiore se turba quàm
Turba ob ut sustinere eam possit, onerauerit, & in primis ea
ruitur habenda cura est, ut is omnino fiat nobis familiariter
prece- amicus, nec officium docendo spectet, sed affectum.
ptor. ita nunquam erimus in turba. Nec sanè quisquam li-
 teris saltem leuiter imbutus, eum, in quo studium in-
 geniumq; perspexerit, non in suam quoq; gloriam pe-
 culiariter fouebit.

Sed, ut fugienda sint magne scholæ (cui ne ipse
 quidē

TOMVS PRIMVS

Quidem rei assentior) si ad aliquem merito concurratur, non tamen hoc eo ualet, ut fugienda sint omnino scholæ, aliud est enim uitare eas, aliud eligere. Et si refutauius, quæ cōtra dicuntur, iam explicemus quid ipsi sequamur.

Præceptor se faciat multis familiarē rem, nec uelut claudus sutor totos dies desideat domi.

Ante omnia futurus Orator, cui in maxima celebritate, & in media republica uiuendum est, assuescat iam à tenero non reformidare homines, neq; illa solitaria, & uelut umbratili uita pallefcere, excitanda mens, & attollenda semper est, quæ in huiusmodi secretis aut languescit, & quendam uelut in opaco situm ducit, aut contrà tumescit inani persuasione.

Necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, catigat in Sole, & omnia noua offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est.

Mitto amicitias, quæ usq; ad senectutem firmissime me durant, religiosa quadam necessitudine imbutæ. Neq; enim est sanctius sacris iisdem, quam studijs initiari. Sensum ipsum, qui cōmunis dicitur, ubi discet cum se à congressu, qui non hominibus solum, sed multis quoq; animalibus naturalis est, segregarit? Adde quod domi ea sola discere potest, quæ ipsi præcipiuntur in schola etiam, quæ alijs, quid sit multa quotidie probat

CATECHESIOS PVERORVM

probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgatio
desidia, proderit laudata industria, extitabitur lau-
de emulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrum su-
perasse maiores, accendunt omnia hæc animos, &
licet ipsa uitium sit ambitio, frequenter tamen caus-
sa uirtutum est.

Pueri quomodo in classes distribuendi.

Classes Non inutilem scio seruatum esse à præceptoribus
puerorū. meis morem, qui, cum pueros in classes distribuerāt,
ordinem dicendi secundum uires ingenij dabant, &
ita superiore loco quisq; declamabat, ut præcedere
profectu uidebatur. Huius rei iudicia præbebantur,
ea nobis ingens palmæ cōtentio, decere uero classem
multo pulcherrimum.

Nec de hoc semel decretum erat, tricesimus dies
reddebat uicto certaminis potestatem. Ita nec supe-
rior successu curam remittebat, & dolor uictum ad
depellendam ignominiam concitabat, id nobis acrio-
res ad studia discendi fauces subdidisse, quàm exhor-
tationem docentium, pædagogorum custodiam, uota
parentum, quantum animi mei coniectura colligere
possum, cōtenderim. Sed sicut firmores in literis pro-
fectus, alit æmulatio, ita incipientibus, atq; adhuc te-
neris condiscipulorum, quàm præceptorum iucundā
Ne multa or, hoc ipso quod facilius, imitatio est. Vix enim se
simul p= prima elementa ad spem tollere effingendæ, quā sum
ponantur. mem putant, eloquentiæ audebunt, proxima ample-
Etuntur

Et tunc magis, ut uites arboribus applicite, inferiores prius apprehendendo ramos in cacumina euadunt. Quod adeo uerum est, ut ipsius etiam magistri, si tamen ambitiosis utilia praeferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia non statim onerare infirmitatem discipulorum, sed temperare uires suas, et ad intellectum audientis descendere.

Nam ut uascula oris angusti super fusam humoris *Simile.*
 copiam respuunt, sensim autem influentibus, uel etiam instillatis complentur, sic animi puerorum quantum excipere possint, uidendum est. Nam maiora intellectu, uelut parum apertos, ad percipiendum animos, non subibunt.

Vtile igitur est habere quos imitari primū, mox uincere uelis, ita paulatim et superiorum spes erit. *Imitatio.*
 His adijcio, praecipuos ipsos, non idem mentis, ac spiritus in dicendo posse concipere singulis tantum presentibus, quod illa celebritate audientium instigatos. Maxima enim pars eloquentiae constat animo, hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et transformari quodammodo ad naturam eorum, de quibus loquimur, necesse est.

Is porro, quo generosior, celsiorque est, hoc maioribus uelut organis comouetur, ideoque et laude crescit, et impetu augetur, et aliquid magnū agere gaudet.

Est quaedam tacita dedignatio uim dicendi tantis comparatis laboribus ad unum auditorē demittere,
 pudeat

CATECHESIOS PVERORVM

pudet supra modum sermonē attollere. Et sanē quis concipiat mente uel declamantis habitum, uel orantis uocem, incessum, pronunciationem, illum deniq; animi, & corporis motum, sudorem, ut alia præteream, & fatigationem, audiente uno, nonne quiddā pati furori simile uideatur? Non esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

Qua ratione ingenia puero- rum dignoscantur.

Memoria Tradito sibi puero, docēdi peritus ingenium eius imprimis, naturamq; prospiciet, Ingenij signū in paruis præcipuum, memoria est. Eius duplex uirtus, facile percipere, & fideliter continere, proximum, imitatio, nam id quoq; est docilis naturæ, sic tamē ut ea quæ discit, effingat. Nam habitum forte, & incessum, & si quid in peius notabile est, non dabit mihi spem bonæ indolis, qui hoc imitandi studio petet, ut uideatur.

Nam probus quoq; in primis erit ille uere ingeniosus, alioquin nō peius duxerim tardi esse ingenij, quā mali, probus autem ab illo segni, & iacente plurimū aberit. Hic meus quæ tradentur non difficulter accipiet, quædam etiam interrogabit, sequetur tamen magis, quā præcurret.

Ingenia quæ raro ad frugem perueniunt.

Illud ingeniorum uelut præcox genus, non temere
unquē

TOMVS PRIMVS.

unquàm peruenit ad frugem, ij sunt, qui parua facile faciunt, & audacia profecti, quicquid possunt, statim ostendunt, possunt autem id demum, quod in proximo est, uerba continuant, hæc uultu interrito, nulla tardati uerecundia proferunt, non multum præstant, sed cito, non subest uera uis, uec penitus immissis radicibus innititur, ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatae spicas herbule inanibus aristis ante messem flauescunt, placent hæc annis comparata, deinde stat profectus, admiratio decrescit. Hæc cum animaduertit, perspicat deinceps quonam modo tractandus sit discens animus.

VARIETATI INGENIORVM PRAEceptor se debet attemperare.

Sunt quidam, nisi institeris, remissi, quidam imperia indignantur, quosdam continet metus, quosdam debilitat, alios continuatio extundit, in alijs plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria iuuet, qui uictus fleat, hic erit alendus ambitu, hunc mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit, in hoc desidiã nunquàm uerebor.

Danda est tamen omnibus aliqua remissio, non solum quia nulla res est, quæ perferre possit cõtinuum laborem, atq; ea quoq; quæ sensu, & anima carent, ut seruare uim suam possint, uelut quiete alterna resenduntur, sed quod studium discendi uoluntate, quæ

CATECHESIOS PVERORVM

eogi non potest, constat. Itaq; & uirium plus afferunt ad discendum renouati, ac recentes, & acriorem animum, qui ferè necessitatibus repugnat.

Nec me offenderit lusus in pueris, est et hoc signum alacritatis, neq; illum triste, semperq; demissum sperare possim erectæ circa studia mentis fore, cū in hoc quoq; maxime naturali ætatibus illis impetu, iaceat, modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciãt, negatæ, aut otij consuetudinem, nimie. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingenijs non inutiles lusus, cum positis inuicem, cuiuscunq; generis quæ stiunculis æmulantur. Mores quoq; se inter ludendum simplicius detegunt, modo nulla uideatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum, prauumq; sit, discat, tum uel maxime formanda, cum simulandi nescia est, & præcipiētibus facillime cedit. Frangas enim citius, quàm corrigas, quæ in prauum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer, habendumq; in animo semper illud Vergili. Adeo in teneris consuescere multum est.

AN CONSULTVM SIT IN PVEROS uerberibus animaduertere.

Cædi uero discipulos, quanquàm illud receptum sit, & Chrysippus non improbet, minime uelim, primum quia deforme, ac seruile est, & certè quod consentit, si ætatem mutes, iniuria, deinde quod si cui est mens

men tam illiberalis, ut obiurgatione non corrigatur, Verbera
is etiam ad plagas, ut pessima quæq; mancipia, dura=
bitur. Postremo quod ne opus erit quidem hac casti=
gatione, si assiduus studiorum exactor astiterit. Nūc
serè negligentia pædagogorum, sic emendari uiden=
tur, ut pueri non facere, quæ recta sunt cogantur, sed
cum non fecerint, puniantur.

Deniq; cum paruulum uerberibus coëgeris, quid
iuueni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, &
maiora discenda sunt? Adde quòd multa uapulanti=
bus dictu deformia, & mox uerecundiæ futura, sæpe
dolore uel metu accidunt, qui pudor refringat ani=
mum, & abijcit, atq; ipsius lucis fugam, & tædium
dicat.

Iam si minor in eligendis custodum, & præcepto=
rū moribus fuit cura, pudet dicere in quæ probra ne
fandi homines isto cædendi iure abutantur, quam de
alijs quoq; nonnunquàm occasionem hic miserorum
motus, non morabor in parte hac, nimium est, quod
intelligitur. Quare hoc dixisse satis est, in ætatem in=
firmam, & iniuriæ obnoxiam nemini debet nimium
licere.

BAPTISTAE GVARINI IV=
diciū de pueris insti=
tuendis.

B a Pueri

CATECHESIOS PVERORVM

PVERI NON ACRITER

uerberentur.

Ommino danda erit opera, ne pueri propter literarum disciplinam grauitate & acriter uerberentur. Habet enim ea res seruire quiddam, & generosus se penumero animus ita indignatur, ut plagarum causa iam tū literas oderit, cū nec dū gustare cœperit.

Adde quòd metu uerberū declamationes eis propositas, non ingenio proprio componunt, sed ab alijs occulte cōpositas afferunt, quod capitale, & pernitiosissimum est. Nam utrumq; uehementer fallit, & præceptorem, qui spem falsam præsumit, & discipulum, qui id non intelligit, quod à se factum mentitur.

Occultè
aliena
pro suis
afferre, p
nitiosum.

Blāditiæ
quantum
ualeant.

Ignauia
quantum
dedecus.

Honestius igitur & utilis erit uel blanditijs agere, uel interdum solo uerborum terrore, ita ut plaga statim subsecutura uideantur. Nam si securus fuerit, maximam negligentia fenestram licentia illa præbebit.

Si uero paulo adulti fuerint, ut honoris cupiditate excitari possint, admonendi erunt, quanto dedecori id futurum sit, si operam luserint, si reliquis ignauiores, tardioresq; apparuerint.

Et ut magis eos nescire, quàm discere pudeat, placeat etiam, ut pueris ipsis aliquis ad disciplinam socius adiungantur, cuius æmulatione quibusdam quasi igniculis accendantur.

Est enim nobilibus animis quædã insita generosa inuidia,

inuidia, ut in eodem studij genere uersantibus postponi, & quasi hebetiores relinqui, erubescant. Ex quo sequitur, ut certatim æmulantes, alter alterum reddat alacriorem.

TVRBA ABCDARIORVM PRAE
ceptori molesta.

Non tamen id probamus, ut sub eodem præcepto re magnus puerorum numerus prima simul elementa doceatur. Dum enim omnibus satisfacere cupit, omnibus se impertit, nemini aut integram, aut magnam impendit curam, quo fit, ut sicut nemo neglectus, ita & nemo bene doctus inde reuertatur.

Hoc autem de his præcipimus, qui prima literarum fundamenta perdiscunt. Nam in paulo progressis, qui iam Poëtas, & Historicos & Oratores audire possunt, id minime est necesse. Nam quo maior erit turba, eo diligentius præceptor ipse legere conabitur, quia Ouidio teste, Excitat auditor studium. In illis autem erudiendis ordinem hunc seruari oportebit, ut literas & uerba apertè quidem, & expeditè, non tamen expressè nimis pronunciare consuescant.

Nam sicut obscura est intra dentes murmuratio, & uerborum conculcatio, ita iniucunda, & fastidiosa uehementum literarum expressio, tum in uerbis quasi syllabarum dilatatio.

Deinde Grammaticam omni ex parte perfecte doceri Grammatici cendi sunt. Ut enim in ædificijs nisi ualida iacta sint tica.

CATECHESIOS PVERORVM

fundamenta, quicquid supra construas, corruat necesse est, ita & in studiorum ratione, nisi principia optime calleant, quo magis progrediuntur, eo magis imbellicitatem suam sentiunt.

Declina-
tio.

Quo circa nomina & uerba declinare in primis pueri sciant, sine quibus nullo modo peruenire ad intellectum sequentium possunt.

Nec semel tantum docuisse contentus sit praeceptor, sed saepe repetens, iterumq; ac iterum memoriam in ijs puerorū exerceat, & tanquam diligens imperator quid didicerint, & quantum, recognoscat.

Interdum uitiose ipse declinet, ut illorum certitudinem tentet, magnum enim proficiendi testimoniū erit, cum aliorū errores intelligere uidebuntur.

Grammaticae autem duae partes sunt, quarum alteram Methodicam, quae breues omnium orationis partium formulas, id est, μεθόδους declarat, alteram Historicam, quae historias & res gestas pertractat, appellant. Eas formulas multis ex libris, qui excitant, & capescere licebit, sed magna ex parte compendium illud optimi parentis mei ad id iuuabit, ubi sicut nihil est superflui, ita omnia facile reperientur, quae ad rationem recte struendam conducere uideantur.

Gramma-
tica Gua-
rini.

MVLTA SCRIBERE EX ORE

praeceptoris prodest.

Sed illud à magistro obseruari uolumus, ut quae propo

proponit pueris earum regularum declamationes, ea tum scribant, tum absq; scriptura componant. Si enim rescripserint tantum, euenit plerumq; ut rogati nihil ex tempore sciant respondere, utpote soliti in omnibus partibus multum diuq; meditari.

Contrà uero si memoriter solum respondere didicerint, sæpenumero quibus inter se literis syllabæ connectuntur ignorant.

Quòd si ad utrūq; ut diximus, assuefacti simul fuerint, expeditã consequentur & in scribēdo, & in lo Latine loquendo promptitudinem, quam illud quoq; uehemen quendum ter augebit, si latine loqui continue assuefiant.

GENERALES FORMVLAE PRIMUM proponendæ.

Generales autem quasdam edoceantur uelim formulas, ut citius, & firmiter pariter ad id quod ex ijs regulis cupimus perueniant.

Erit autem illud perquàm utile, ut in his regulari declamationibus consuescant ornate componere, ut (exempli caussa) oratio plerumq; uerbo claudatur, & quicquid ab illo pendet, anteponatur, quam id à quo dependet. Facilius enim postea ad stili elegantiam perducuntur.

DE SYLLABARVM ET VERSUUM cognitione.

Cum earū noticiã iam assecuti erūt, quæ diximus, coniungenda erit syllabarum, uersuumq; cognitio,

B 4 cuius

CATECHESIOS PVERORVM

cuius tanta est utilitas, ut apte dicere auisim, neminē posse iure doctum appellari, cui hæc ignota fuerint. Quare priscorum diligentiam mecum non admirari, & laudari pariter non possum, qui licet ad magna anhelarent, nolebant tamen hæc minima se fugere. Vnde & Augustinus, maxima ecclesiæ nostræ columna, librum de Musica, ubi etiam pedum rationes exequitur, conscripsit. Sed omissa illorum authoritate, sola huius rei utilitas, imò et necessitas facile declarat, quanto studio ea sit percipienda. Neq; enim recte pronunciare absq; ea scientia quisquàm ualet, immò (quod maius est) non enim recte intelligere. Multa enim in Poëtis inuenimus diuersis quidem casibus, sed eodem fine pronunciata, quæ syllabarū ignarus nullo pacto discernet. Quid quòd aliqua sunt diuersæ penitus significationis, sola unius syllabæ uel prolixitate, uel correptione dignoscenda.

Postrema etiam si nihil utilitatis afferret, saltem uoluptatis gratia id appetendū esset. Nam sicut pulsante optimo citharædo magis delectatur, qui eius artis cognitionem aliquam attigit, quàm qui ignorat, ita & in Poëtarum lectione maiore suauitate afficitur, qui uersuū rationem habet, quàm qui ea careat.

Nec in carmine tantum ea prodest, sed in ea quam uocant Rhetores numerosam orationem, quæ pedibus metricis constat, quam qui ab his scriptam intelligere non potuerit, multo certo minus eā ipse faciet.

Sed

Sed ubi pedum enumerationem, quam uulgo scan-
sionem nuncupant, ex prima quadam degustatione as-
secuti fuerint, reliquam deinde syllabarum noticiam
ex frequenti Poëtarū lectione planius ediscent. Qua
propter Vergilij carmina memoriæ mandent, ut ad
omnem syllabæ quantitatem optimi Poëtæ authori-
tate nitantur, & exemplo. Declamare autem etiam
in his oportebit, ut assiduitate pedum numerum etiã
solo uerborum cantu annotent. Deinde alia uersuum
genera ex ijs perdiscent, qui de ea re uolumina scri-
pserunt, ut nihil in hac utilissima scientia intactum
prætermittatur.

DE UTILITATE LITERARVM
græcarū, & quo cōpendio sunt addiscendæ.

Illud hoc loco tanquã specula præmonere ue-
lim, & (ut ait Satyricus) Credite me uobis folium re-
citare Sybille. Hoc inquam clara uoce prædico, ne-
minem posse absq; literarum græcarum scientia, in
hac uersuum doctrina, fundamēta, & (ut ita loquar)
medullam penitus introspicere. Scio enim plerosq; es-
se, qui eam latinis literis necessariam esse negent, qui
quoniam ignari ipsi sunt, optarent reliquos inscitie
sue pares esse, ut inter cæteros, si non superiores, sal-
tem nec inferiores iudicarentur. Mihi uero, dum ui-
uam, nemo hunc errorem (si error est) eripiet, ut eã
non modo utilem sed per necessariam literis nostris
esse non credam.

B s Namq;

CATECHESIOS PVERORVM

Namq; ut omittam, quòd eius doctrinæ expertes, literas natura longas sæpe imprudenter cõtrahunt, quòd neq; diphtongos, neq; aliam scribendi recte normam, id est, Ortographiam tenēt, quantum id est existimandum, quod nostrorum maxima pars inde originem traxit, quod multa in scriptoribus reperiuntur, quæ nullo modo huius linguæ ignarus explanabit.

GRAECA QVOMODO DOCENDA.

Et inter docendum admoneantur maxime uerborũ genera, tempore generali quadã præceptione deriuare. Et ea quæ apud illos anomala uerba sunt, tanquàm ungues calleant. Sic enim facillime (quod in ea lingua utilissimum est) nomen à uerbo, & uerborum tempora etiam prima fronte discernent.

Hoc autem & frequenti, & diligenti præceptoris interrogatione consequetur. Paulatim deinde ad scriptores progredientur, & ad eos primo, qui in soluta oratione faciliores, ne dum sententiarum pondere laborare cogantur, ut quod in principijs maxime desideramus, regularum quas didicerunt confirmationem omittāt. Vt igitur quisq; durissimus erit, ita postremus eis tradatur.

IUDICIUM DE AVTHORIBVS,

DE HOMERO.

Ad Poëtarum postea principem Homerum perueniēb

nient, qui sicut nostris omnibus fontem præbuisse, uideatur, ita ad discendum non difficilis est. Hinc erit illa animi iucunditas, ut Vergilij imitationem cōtemplari queāt, qui tanquā in speculo Aeneida ad illius opera confirmauit, adeo ut fermè nihil in Vergilio cōperiatur, quod idem apud Homerum nō sit. Nec restantum, sed & uersus plurimos uerbum ad uerbum inde translatos consyderabunt. Sicut idem quoq; & de Theocriti Bucolicis, & Hesiodi Georgicis ab eo factitatum est. Reliquis deinde & Heroicis & Tragicis, & Comicis insudabunt.

Hoc in primis seruent, ut in ea lingua uocabulorū Vocabularietatem, & copiam, quibus ea maxime abundat, la græca non tam memoria, quā in scriptis colligant, atq; eò colligant promptiora erūt, si in ordinem redactæ fuerint. Ex tur. hac enim scribendi assiduitate menti magis imprimuntur, & accentus, quorum sermo ille plenus est, peritus notantur. Aut si forte, ut est memoria labilis, effluxerint, habebunt semper quo tanquā in thesauris se recipiant.

SCRIBERE GRAECA EXPEDIT.

Quapropter id non mediocriter conducet, si scribere ab initio didicerint, & in eo se uehementer exercuerint, quod ad legendi expeditionem non parum confert. Vbi uero aliquantum progressi fuerint, tunc uel ex græco in latinum, uel ex latino in græcum uertere incipient. Quo genere exercitationis propri

CATECHESIOS PVERORVM

Traducti proprietatem, splendoremq; uerborum, & promptitudinem linguæ facillime comparabunt. Multa enim quæ legentem forte fallerent, transferentem nullo modo fugere possunt.

Priscia. Nolumus tamen, dum eam linguã ediscunt, nostrã penitus omittãt, ne de cõsuetudine aliqua illam obliuiscãtur, & deinde opus sit ad prima iterũ Elementa recurrere, sed cum eas quas diximus, Græcarum literarum primas regulas habuerint, tunc ad Prisciani, cæterorumq; Grammaticorũ cognitionem transcendant, ubi ea quæ breuiter ab initio cognouerant, diffusius accipient, & multa uidebunt scriptorum auctoritate licere, quæ prius propter breuitatẽ discendi eis incognita fuerant.

DE CICERONE.

Sub idem tempus & in Ciceronis epistolis declamabunt, ex quibus stili tum elegantiam, tum facilitatem, & sermouis puritatem, ac sententiarum grauitatem adipiscentur, quas si memoriæ mandauerint, mirificos postea fructus in scribendi promptitudine percipient. Nemo tamen existimet in sola illa Epistolarum declamatione pinguem, & quam Cicero adipatam uocat, orationem consistere, eam namq; multarum & uariarũ rerum lectio pariet. Flacco teste, Scribẽdi recte sapere est & principiũ, & fons. Quare ut ad alteram Grammaticæ partem, quam Historicen diximus nominari, traducantur iam tempus erit.

rit. Et sicut reliquas sub cōpendio prius regulas didicerint, ita & eos, qui res gestas carptim collegerūt, prius perlegent.

DE VALERIO ET IVSTINO.

Quo in genere Valerius, & Iustinus offerentur, quibus & externam, & Romanam Historiam uno sermē aspectu contemplabuntur. A Valerio ea quoq; præstabitur utilitas, ut ad omnes uirtutum partes, ad egregia tum dicta, tum facta exemplis orationem exornēt. Reliquos deinde Historiographos ordine perlegent, hinc uariarū gentium mores, instituta, leges, hinc uarias hominum fortunas, ingeniorum & uitia, & uirtutes excerpent, quæ res maxime in quotidianis sermone facundiam, & in uarijs rebus prudentiæ opinionem creabit.

Eodem sermē tempore Poëtas omnes ordine perscurrent, in quibus uerisimilium figmentorum subtilitatem admirabuntur, & ad quotidianæ uitæ institutionem sub fabulamentis contectam reuocabunt. Ea enim à Poëtis conficta esse Cicero arbitratur, ut in fictis personis imaginem cottidianæ uitæ nostræ intueremur. Quod etiā beatus Hieronymus de Terentio sensit, qui ad Furiam scribēs de uiduitate seruanda, cum ebrietatem diceret fugiendam, Comici auctoritatem adducit, Sine Cerere & Libero friget Venus. Cuius inquit, finis est, humanos mores nosse, atq; describere. Ab ipsis flumiuorum, montium, urbium, nationum,

CATECHESIOS PVERORVM

onum & nomina, & situm colligent.

DE VERGILIO.

A Vergilio autem inchoandum est, ut Augustini cōfirmat authoritas, qui in hunc modum inquit. Vergilium propterea paruuli legunt, ut uidelicet Poëta magnus, omniumq; præclarissimus, atq; optimus, à teneris ebibitus annis, non facile obliuione posset aboleri.

DE LVCANO.

Lucanus forte non absurde post Rhetoricam relinquetur, cū cum Quintilianus Oratoribus magis, quàm Poëtis dicat imitandum esse. In quo tamen ea est utilitas, ut profiteri non dubitem, qui cum Poëtã probe intelligat, iam posse in doctorum hominum numero haberi. In Deliberatiuo præsertim genere ipsius orationes adeo graues, adeo artificiosæ sunt, ut nesciam an ab aliquo Rhetoricæ præceptiones clariùs colligere ualeant.

DE STATIO.

Post Vergilium Statij Thebais ordine subsequetur, nam cum ad illius imitationem composita sit, minor erit in discendo labor.

DE OUIDIO.

Ex Ouidio Metamorphoseon nihil fermè erit quod præter fabulas eligant, quibus tamen miro studio incumbent, credentq; eas, non, ut quidam putant, Poëtis tantum congruere, Nam & Cicero tum ora-
tiones,

tionēs, tum reliqua nolumina fabulis plerumq; quasi quibusdam gemmis distinxit. Reliquis eius operibus cum per se ipsos legent, indulgebunt. Illud tamen unū de Fastis in promptu habebunt, in quo & fabulæ quædam ignotiores, & historie, & Fastorum ratio satis abundè pertractatur. Vtinam totus is liber ad nos peruenisset, nullum haberemus, ex quo plenius & mores, & sacra veterum prospiceremus.

DE TRAGOEDIIS

Senecæ.

Tragoediæ Senecæ cum propter fabulas multum iuuant, tum uero propter sententias & uitæ, & sermoni cottidiano commodissimas. Nam sicut grauissima omnia continent, ita lasciuium nihil.

DE TERENCE.

Ad sermonis tum puritatem, & elegantiam, tum proprietatem, nemo Terentio magis idoneus, adeo ut Terentij uerbo frequenter Cicero utatur, & libèter se uti Ciceronis Lelius ille testetur. Quare assiduitate legendi memoriæ commendandus erit.

DE IUVENALI.

Huic Iuuenalem Satyricorum principem, quasi comitem addere non uerebor. Nam hos duos, qui in promptu habuerit, confidat is omnia, quæ in quottidiano sermone contigerint, non modo ornate proloqui posse, uerum etiam ad omnem materiam, sententiam aliquam se habiturum.

Nec

CATECHESIOS PVERORVM

Nec ideo deterreatur quispiam ab illius Satyrici lectione, quia nonnullis in locis uitia quædam horrenda aperte nimis redarguat. Primum enim id raro facit. Deinde uitiosos magis, quàm uitiorum increpatores detestari debemus. At illis omissis, quæ pauca esse diximus, nihil inueniemus non laudabile, nõ Christiano homini maxime congruum.

DE PLAVTO.

Plautus non ad sales modo, quæ uitæ sunt ornamento, sed ad eloquentiam uehementer proderit, cum ei ueteres tantum tribuerint, ut affirmarent, Musas, si latine loqui uoluissent, Plautino sermone fuisse locuturas. Macrobius quoq; duos antiquis temporibus eloquentissimos fuisse asserit, & Comicum Plautum, & Oratorem Tullium.

DE HORATIO.

Horatius præter optimam Poëticæ artis cognitionem, etiam sermonis proprietatē mea sententia supeditabit, nec quenquàm facile inuenies in rerum Epithetis Vergilio magis adhaerentem. Adde quòd ad aliorum Satyricorum intellectum multa accommodat.

DE PERSIO.

Persius breuis quidem, & obscurus, sed in rerum uarietate compensat. Alij non sunt ij, quod inutiles Poëtæ, sed alio tempore magis apte lectitandi.

DE

DE TRACTATV SPHAERAE, POM-
ponio Mela, Higino, Solino, Strabone,
Ptolomæo.

Cæterum quia in Poëtis multa & de Astrologia,
& de situ orbis sumpta reperiuntur, haud erit incō-
modum tractatum sphaeræ pernoscere, Pomponium
Melam, Higinum, Solinum, & quem nuper in latinis
parens noster conuertit Strabonem, uidere. Ad hanc
rem etiam perutile erit, Ptolomæi picturam habere
familiarem, ita ut in omnium locorum descriptionē
mentis oculos ad eam figurā applicent, & quasi præ-
sentes rem ipsam intueri uideantur. Aliter enim or-
bis descriptio quandam plerumq; importat obscuri-
tatem.

Per spicuum iam nimirum esse arbitror eum qui
in prædictarū rerum studijs eruditus fuerit, ad Rhe-
toricæ disciplinam posse transcendere, ex qua cum
dicendi artem fuerit affectus, non modo Ciceronis
orationes intelliget, uerum etiam ex superiorum re-
rum uarietate, & copiosam, & ornatā cum arte cō-
iunctam habebit eloquentiam.

DE RHETORICA AD HERENNIVM.

Nihil autem Rhetorica ad Herennium Ciceronis
ad id perdiscendum accommodatius erit, nihil utili-
us, ubi omnes Oratoris partes, sicuti non prolixè, ita
perfectè exponuntur, in qua quidem audienda etiā
declamare oportebit, nam omnis præceptio ad exer-

C citas

CATECHESIOS PVERORVM

itationem debet accommodari. Postea non difficile erit alios à Cicerone ad Oratoris institutionem cōpositos libros pernoscere & præcepta in eius orationibus tanquàm in speculo intueri.

DE QVINTILIANO, PHILOSOPHIA MORALI, DIALECTICA & ETHICA.

Similiter & Quintiliani in ea re excellentissimi opera percurrere. Verum quoniam omnes Ciceronis libri, qui assidue lectitandi sunt, quoniam & utiles, & faciles quoq; nunquàm intermittendos iudicamus, morali Philosophia referti sunt, quæ Oratori quoq; pernecessaria est. Optimū erit, ut Dialecticorum argumenta, & Aristotelis Ethica perdiscant, ac deinde Platonis uolumina, ex cuius fōtibus omnia ille hausisse, & ad cuius imitationem se penitus conformasse uidetur, adeo ut quosdam etiam dialogos Platonis more, & ab eo qui in loquendo primas habet partes, & à materia ipsa inscripserit.

DE LIBRO OFFICIORVM CICERONIS, & TUSCULANIS QUÆSTIONIBUS.

Ciceronis autem libri cum omnes excellentissimi sint, & utiles mea sententia, & liber Officiorum, et Tusculanæ Quæstiones principatum obtinent, alter quidē propter præcepta ad omnē uitæ partē idonea. Tusculanæ uero propter uariā multiplicēq; rerū cognitionē, præter præcepta, quæ ad omnē fermè scribendi materiā largam nobis copiam exhibent.

De illis

TOMVS PRIMVS.

28

DE IVRE CIVILI.

Si qua uero iuris ciuilis pars adhibebitur, ea tum ad caussarum tractatum iudicialium, tum ad plurimorum locorum explanationem uehemēter iuuabit. Quae omnia posteaquā adepti fuerint, iam non modo praeceptore non indigebunt, sed ipsi alijs praeceptores erunt idonei, itaq; per se & legere & intelligere poterunt.

IUDICIUM ERASMI DE RATIONE
STVDIORVM.

Sed uideo te cupere, ut de docendi quoq; ratione non nihil attingamus. Age mos geratur Viterio, quanquā uideo Fabium hisce de rebus diligentissime praecepisse, adeo ut post hunc de iisdem scribere prorsus impudentissimum esse uideatur.

OPTIMA PRIMVM TRADENDA.

Ergo qui uolet instituire quempiam, dabit operā, ut statim optima tradat, uerum qui rectissime tradat optima, is omnia sciat necesse est, aut si id hominis ingenio negatum est, certe unius cuiusq; disciplinae praecipua. In hoc nō ero cōtentus decem illis, aut duodecim authoribus, sed orbem illum doctrinae requiram, ut nihil ignoret, etiam qui minima paret docere. Erit igitur huic per omne scriptorū genus uagandum, ut optimum quemq; primum legat, sed ita, ut ne minem relinquat ingustatum, etiam si parum bonus

C a sit au

CATECHESIOS PVERORVM

fit author. Atque id quo cumlatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam, ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usquam incidere annotandum, id suo ascribat ordini. Sed hoc qua ratione fieri oporteat in secundo de Copia commentario demonstrauius. Verum si cui uel ocium, uel librorum copia defuerit, plurima Plinius unus suppediabit, multa Macrobius, & Athenæus, uaria Gellius, Sed in primis ad fontes ipsos properandum, id est, Græcos & antiquos? Philosophiam optime docebit Plato, & Aristoteles, atq; huius discipulus Theophrastus, tum utrinq; mixtus Plotinus. Ex Theologis secundum diuinas literas, nemo melius Origene, nemo subtilius aut iucundius Chrysostomo, nemo sanctius Basilio. Inter Latinos duo duntaxat insignes in hoc genere, Ambrosius mirus in allusionibus, & Hieronymus in arcanis literis exercitissimus. Quod si minus uacabit immorari singulis, omnes tamen censeo degustandos, quorum in præsentia catalogum texere non est ratio.

Philoso.

Theolo.

FABVLAE.

Certè propter Poëtarum enarrationem, quibus mos est, ex omni disciplinarum genere sua temperare, tenenda est fabularum uis, quam unde potius petas, quam ab Homero, fabularum omnium parente? Tametsi Metamorphoses, ac Fasti Nasonis non leue momentum adferent, etiamsi latine scripti.

Cosmo

TOMVS PRIMVS.

19

COSMOGRAPHIA.

Tenenda Cosmographia, quæ in Historijs etiam est usui, ne dū in Poëtis. Hanc breuissime tradit Pomponius Mela, doctissime Ptolomæus, diligentissime Plinius. Nam Strabo non hoc tantum agit. Hic præcipua pars est obseruasse quæ montium, fluminum, regionum, urbium, uulgo recepta uocabula, quibus antiquis respondeant. Eadem debet esse cura in arborū, herbarum, animantium, instrumentorum, uestium, gemmarum nominibus, in quibus incredibile dictu, quàm nihil intelligat literatorum uulgus. Horum notitia partim è diuersis authoribus, quæ de re rustica, de re militari, de architectura, de re culinaria, de gemmis, de plantis, de naturis animantium conscripserunt, colligitur. Quancquàm Iulius Pollux ex professo de rerum uocabulis tradidit, quæ utinam tam accurate distinxisset, quàm congeßit copiose, partim ex etimologijs, partim ex his linguis, quæ prisce sermonis & incorrupti, manifesta uestigia seruant in hanc usq; ætatem, cuiusmodi lingua Constantinopolitanorum, Italarum, & Hispanorum, nam Gallorum oratio longius degenerauit.

Iul. Pol.

ANTIQ. VITAS.

Tenenda Antiquitas, quæ non modo ex uetustis authoribus, Verum etiam è numismatis prisce, è titulis saxisq; colligitur. Ediscenda & deorum genealogia, quibus undiq; refertæ sunt fabulæ. Eam post He-

C 3 siodum

CATECHESIOS PVERORVM

siodū foelicius, q̄ pro suo seculo tradidit Boccatus.

ASTROLOGIA.

Non ignoranda Astrologia, quòd hanc passim suis figmentis aspergunt Poëtæ, præsertim Higini.

Tenenda rerum omnium uis, atq; natura, propterea quòd hinc similia, epitheta, comparationes, imagines, metaphoras, atq; alia id genus schemata solent mutuo sumere. In primis autē omnis tenēda est historia, cuius usus latissime patet, non tantum in Poëtis.

PRUDENTIUS.

Musica.

Iam si quis Prudentium, unum inter Christianos uere facundum Poëtam, uolet enarrare, iteras etiā arcanas calleat oportet. Postremo nulla disciplina est, nec militiæ, nec rei rusticæ, nec musices, nec architecturæ, quæ non usui sit his, qui Poëtas, aut Oratores antiquos susceperint enarrandos. Sed uideo, iam dudum frontem contrahis. Ne tu inquis, immensum onus imponis etiam literatori. Onero sanè, sed unum, ut quàm plurimos exonerē. Volo ut unus euoluat omnia, ne singulis uniuersa sint euoluenda.

PVERI STATIM LATINA

loquantur.

Iam uero de formando puerorum ore, deq; tradēdis eeu per lusum, iocumq; literarū figuris, satis præcepit Fabius. Equidem post tradita elementa prima, malim ad usum loquendi statim uocari puerum. Et enim cum intra pauculos menses, quamuis barbaram linguā

linguā ætas ea sonet, quid uetat quo minus idem fiat in lingua græca siue latina? Verum id nec in magno puerorum grege locum habet, & domesticam præceptoris consuetudinem requirit. Quanquam in ludo quoq; dabit operam, ut siue pluribus loquatur, siue seorsim uni quam potest emendatissime dicat. Quædam obiter interpretetur, & ut imitentur, ad moneat. Loquentes illos aliquoties collaudet, si quid dictum crit aptius: aut emendet, cum errabunt. Ea res efficiet ut illi quoq; consuescant circumspectius & accuratius loqui, & præceptorem loquentem attentius obseruent. Iuuabit & illud, si præpositis præmiolis, aut pœnis, uelut ex lege prouocentur, ut ipsi quoq; inter sese alius alium, emendent. Porro præceptor eruditiores aliquot deliget, qui cōtrouersiam finiant.

FORMVLAE LOQVENDI
proponendæ.

Neq; fuerit inutile, ceu formulas aliquot proponere pueris, quibus orationibus in lusu, quibus in congressu, quibus in conuiujs uti debeant. Has sic oportet esse doctas, ut simul & faciles sint, & iucundæ. Porro doctor ille diligens & doctus, acriq; iudicio, non grauabitur, collatis omnibus Grammaticorum præceptis, excerpere quædã, & simplicissima, quo ad fieri potest, & breuissima, tum ordine quam maxime commodo.

CATECHESIOS PVERORVM

DE THEMATIS PROPONENDIS.

Posteaquàm ea tradidit, statim ad authorem aliam quem ad id accommodatissimum, ac loquendi, scribè diq; consuetudinem uocentur. Hic præceptiones ante traditas ut incident, exemplaq; diligenter inculcabit, quibus etiam addet nōnihil, uelut iam tum ad maiora præparans. Hinc iam Thematis exerceri debet. In quibus illud in primis cauendum, ne (quod fieri solet) aut sensu sint inepto, aut sermone insulso, sed argutam aliquam, aut uenustam habeant sententiã, quæ tamen ab ingenio puerili non nimium abhorreat, ut interim aliud agentes, simul & aliquid discant, in grauioribus studijs usui futurum.

THEMATA.

Habeat igitur Thema, quod pueris proponat, aut historiam memorabilem. Quod genus sunt illa. Marcelli præceps cator rē Romanã subuertit. Fabij prudens cunctatio restituit. Quamquàm hic subest etiã sententia. Nimirum præcipitata consilia parum feliciter euenire solere. Item, difficile iudicatu sit, ueter altero fuerit stultior, Crates qui aurum abiecit in mare, an Midas, qui existimauit nihil auro melius esse. Item, Demostheni ac Ciceroni immodica eloquentia exitio fuit. Rursum, nulla laus Codri regis meritis par esse potest, qui ciuium salutem propriæ uitæ dispendio redimendam putauit. Sed non magni negotij fuerit huiusmodi uim ex Historiographis, præcipue

que Valerio Maximo, colligere. Aut fabulam habeat, ut illud: Hercules expugnandis monstris immortalitatem sibi parauit. Musæ fontibus ac nemoribus unicè gaudent, à fumosis urbibus abhorrent.

Aut Apologum, ut recte docuit Cassita, Non esse Apologum committendum amicis negocium, quod per te possis conficere. Item, manticam pectore propendentem uident omnes, eam, quæ à tergo pendet, uidet nemo. Itē, sapiebat uulpes, quæ maluit muscas iam propè saturas retinere, quàm his expunctis, uacuas ac sitientes admittere, quæ quicquid reliquum esset sanguinis, ea potarent.

Aut apophthema, ut, Lōge dissentiebat à uulgo no Apophthæ etatis, qui maluit uirum absq; pecunia, quàm thegma. pecuniam sine uiro. Item, Iure Socrates contemnit eos qui non edunt ut uiuant, sed uiuunt ut edant. Merito non probauit Cato eos, qui plus sapiunt palato, quàm animo.

Aut prouerbium, ut, ne sutor ultra crepidam. Et, Prouerbiū. Non cuiuslibet hominis Corinthum nauigare. Ac nos quidem editis tot Chiliadibus, effecimus, ne difficilis esset horum inuentio.

Aut sententiã, ut, nihil carius constat, quàm quod Sententiã precibus emitur. Et, Obsequium amicos, ueritas odium parit: Et, Amici, qui procul absunt, amici non sunt.

Aut rei cuiuspiam insignem naturam. Vt Magnes Natura.

C s ad se

CATECHESIOS PVERORVM

ad sese ferrum attrahit, Naphtha ignem. Item, Palmæ
ea est natura, ut pondere imposito, non modo non de-
primatur ad terram, uerum etiam sursum nitatur, et
altius erigat sese. Item, Mirum Polypi ingenium, qui
ad speciem subiecti soli mutat colorem, quo fallat in-
sidias piscatoris.

Figura. Aut figuram eximiam, puta Gradationem. Diui-
tiæ luxum pariunt, luxus saturitatem, saturitas fero-
citatem, ferocitas odium multorum, odium perni-
ciam.

Simile. Aut similitudinem, ut quemadmodum ferrum si ex-
erceas, usu atteritur, si non exerceas, exeditur rubi-
gine. Ita ingenium si exerceas, labore absumitur, si nō

Allegoria exerceas, magis otio, situq; læditur. Aut allegoriã,
ut non est addendus ignis igni, non est addendum ole-
um incendio.

**Commu-
tatio.** Aut commutationem, ut non ideo te talem iudico,
quòd uehementer amem, sed ideo uehementer amo,
quòd talem iudicari. Aut distributionem, stultior
est, quàm ut possit tacere, infantior quàm ut possit lo-
qui. Simplitior est, quàm qui possit mentiri, grauior
quàm ut uelit. Sed mihi sat est indicasse tantū. Aut
exquisitam aliquam elegantiam, cuius rei non est ne-
cesse ponere exemplum.

Nihil autem obstat, quo minus plures commodita-
tes in eandem incidant orationem, uelut sententia, hi-
storia, prouerbium, & figura.

Præce

PRAECEPTORI ASSIDVO VER=
sandum in authoribus.

Ergo praceptor, quem oportet assidue in bonis authoribus obuersari, huiusmodi ceu flosculos undique colliget, eosque delectos proponet, aut etiam in eam formam demutabit, ut puerorum ingenijs sint accommodati. Postquam in his rebus ad aliquantam sermonis peritiam prouectus erit puer, tum si uidebitur, ad maiora Grammatices pracepta reuocetur, quae per locos & ordines quosdam ita tradenda sunt, ut primo loco simplicissima proponantur, eaque paucis. Deinde utcumque adolescunt discentium ingenia, ita maiora suis quaeque locis oportebit subijcere. Is ordo cuiusmodi sit, e Theodori Gazae Grammatica exemplum sumas licebit, Nec in his tamen uelim eos detineri longius, sed illico ad authores grauiores reuocari. Praesertim si prius summam illam, de qua dixi, Rhetorices, ac figuras, & carminum formas teneant. Interim thematis quoque difficilioribus sunt exercendi, in quibus delegendis ac narrandis, diligentem ac doctum praceptorem requiram. Qui si sit mediocris, modo sit idem modestus, non grauabitur haec ab alio doctiore petere, Thematum autem formae huiusmodi ferè possunt esse.

Nunc epistolae breuis argumentum, sed argutum, Epistola.
 lingua uulgari proponat, latine graecaeque, aut utroque
 sermone tractandam. Nunc apologum, nunc narratiunculam

CATECHESIOS PVERORVM

culam non insipidam, nunc sententiam ex quatuor constantibus partibus, utriusque simili aut ratione subiecta. Nunc argumentationem quinque tractandam partibus, nunc Dilemma duobus, nunc Expolitionem quam uocant, septem partibus explicandam, aliquando tanquam ad Rhetoricam præludentes, unum aliquod membrorum seorsum tractent. Cuiusmodi progymnasmata scripsit Aphthonius,

Aliquando laudem, uituperationem, fabulam, similitudinem, comparationem. Aliquando figuram, uel descriptionem, distributionem, sermocinationem, subiectionem, notationem. Aliquoties iubeantur carmen aliquot soluere.

Aliquoties solutam orationem pedibus alligare. Interim Plinianam aut Ciceronis epistolam, uerbis ac figuris imitentur. Nonnunquam eandem sententiam uariatis uerbis ac figuris sepius efferant. Nonnunquam eandem graece simul ac latine metro et oratione prosa uariant. Nonnunquam eandem quinque aut sex carminum generibus, quae doctor praescripserit, explicent.

Nonnunquam sententiam eandem per locos quam plurimos ac schemata diffingant. Plurimum autem fructus est in graecis uertendis. Quare conueniet eos, hoc in genere sepiissime ac diligentissime exerceri. Nam simul et exercetur ingenium in deprehendendis sententijs, et utriusque sermonis uis ac proprietas penitus

tus

tus inspicitur, & quid nobis cum græcis cōmune sit, quid non, deprehenditur.

Deniq; ad reddendam græcanicam emphasim, omnes latine linguae opes excutias oportet. Hæc si initio pueris difficilia uidebuntur, tum usu fient facilio-
ra, tum præceptoris ingenium, ac studium, bonam ne-
gocij partem pueris adimet, indicantis quæ putet esse
se supra uires illorum. Atq; ijs interim exercitamen-
tis crebræ prælectiones authorũ misceantur, ut sup-
petat quod imitentur. Quamquàm is, qui docet, pro-
posito themate, simul uerborum quoq; & figurarũ
copiam debet indicare.

Sub hæc ad inueniendi quoq; laborem prouocentur, ita propositis nudis argumentis, ut suo quisque Marte reperiatur, quæ pertinebũt ad rem tractandam, ornandam, locupletandam. Et hic delectum ac uarietatem requiram à præceptoris eruditi diligentia, gustum interim exhibebo.

Sæpius argumentum epistolæ proponet suasoriæ, dissuasoriæ, exhortatoriæ, dehortatoriæ, narratoriæ, gratulatoriæ, expostulatoriæ, commedatoriæ, consolatoriæ. Et uniuscuiusq; generis naturam, locos ac formulas quasdam communes, dein etiam argumẽto proposito, peculiare iudicabit.

Aliquando ceu declamatorium thema dabit, in diuersis generibus, puta si iubeat eos uituperare Iuliũ Cæsarem, aut laudare Socratem, in genere demon-
stratio.

CATECHESIOS PVERORVM

Stratiuo. Item statim optima discenda. In opibus non esse foelicitatem. Matrem proprio lacte nutrire debere quod peperit. Literis græcis non esse dandam, aut esse dandam operam. Vxorem esse ducendam, aut non esse ducendam. Peregrinandū esse, aut non peregrinandum esse, in genere suasorio. Item M. Horatium indignum esse supplicio in genere Iudiciali.

Verum hanc palæstram primum ingredientibus, non grauabitur is, qui docendi prouinciam suscepit, primum indicare, quot propositionibus id argumentū tractari possit. Præterea propositionū ordinē demonstrabit, & quo pacto alia ex alia pendeat. Deinde quot rationibus unaquæq; propositio fulciri debet, quot confirmationibus unaquæq; ratio. Tum circumstantias ac locos, unde ista peti possint. Deinde quibus similibus, dissimilibus, exemplis, collationibus, sententijs, prouerbijs, fabulis, apologis, unaquæq; pars locupletari queat. Ostendat & schemata, si qua insigniter uidebuntur incidere posse, quæ uel acriorem uel ampliore, uel magis dilucidam uel iucundiorē reddant orationem. Si quid erit amplificandum, rationem demonstrat, siue per locos communes, siue per eas rationes, quas in quatuor formas distribuit Quintilianus.

Quod si qui inciderint affectus, hi quoq; quo pacto tractandi sint, admonebit. Quin connectendi rationes præscribat, qui sit optimus futurus transitus, ab ex=

ab exordio ad narrationem, à narratione ad diuisionem, à diuisione ad argumentationem, à propositione ad propositionem, à ratione ad rationem, ab argumentatione ad epilogum, aut Perorationem. Ostēdat & formulas aliquot, quibus ibi commode possint exordiri, aut etiam perorare.

Postremo si potest, locos aliquot in authoribus indicet, unde ualeant aliquid imitandum sumere, propter rerum affinitatem, id ubi septies, aut octies crit factum, iam incipient (quod ait Horatius) sine cortice narre, & satis crit nudum thema ministrasse, nec necesse fuerit, semper uelut infantibus cibum præmāsum in os inserere. Nec mihi displicet illud exercitationis genus, quod apud antiquos in usu uideo fuisse, ut ex Homero, Sophocle, Euripide, Vergilio, aut etiam ex historijs aliquando legantur themata. Puta, ut Menelaus apud Troianam concionem repetat Helenam. Aut Phoenix suadeat Achilli ut redeat in præliū, Aut Vlysses suadeat Troianis, ut Helenam redant, potius quàm bellum experiantur. Quo in genere extant aliquot Libanij & Aristidis declamationes, Præterea, uti suadeat aliquis amicus Cicero ni, ne conditionem ab Antonio oblatam accipiat, quod argumentum est apud Senecam, Vti Phalaris suadeat Delphis, ut taurum æneum deo suo consecrent. Ad hoc genus pertinent epistolæ, quæ Phalaridis, ac Bruti nomine circumferuntur,

In emē

CATECHESIOS PVERORVM

In emendādo collaudabit, si quid fœlicius inuentum, tractatum, aut imitatum uidebitur, si quid prætermissum, aut non suo loco positum, si quid nimium, aut remissius, si quid obscurius, aut etiam si quid parum eleganter dictum erit, admonebit. Et quo pacto mutari possit, ostendet, ac mutari, & sæpius iubebit.

Extimulabit autem præcipue discētium animos, comparatione profectus, uelut æmulatione quadam inter ipsos excitata.

Iam in prælegendis authoribus nolim te facere, quod praua quadam ambitione uulgus professorum hodie facit, ut omni loco coneris omnia dicere, sed ea duntaxat, quæ explicādo præsentī loco sint idonea, nisi si quando delectandi caussa digrediendum uidebitur.

AUTHORES QVOMODO tractandi.

Quòd si huius quoq; rei rationem à me requiris, hæc mihi quidem uidebitur optima. Primo loco ad conciliandos auditores, laudes eius, quem prælegendum sumit, paucis explicet. Deinde argumenti iucunditatem, utilitatemq; ostendat. Deinde uocem argumenti, si forte (ut faciunt pleriq;) uarios habeat usus explicet, ac distinguat. Veluti Comœdiã (ut hoc exempli loco sumamus) Terentianam interpretaturus, in primis de authoris fortuna, de ingenio, de sermonis elegantia paucis disserat.

Deinde quantum habeat & uoluptatis & utilitatis
tis cons

tis comœdiarũ lectio, deinde quid significet ea uox, & unde ducta, & quod sint comœdiarum genera, & quæ sint comœdiæ leges.

Deinde, quàm potest & dilucide, & breuiter summam explicet argumenti. Carminis genus diligenter indicet.

Post ordinet simplicius, deinde singula fusius explicet. Deinde si qua insignis elegantia, si quid prisce dictum, si quid nouatum, si quid græcanicum, si quid obscurius, aut longius redditum, si durior aut perturbator ordo, si qua etymologia, si qua deriuatio aut compositio scitu digna, si qua ortographia, si qua figura, si qui loci rhetorici, si qua exornatio, si quid de prauatum, diligenter admoneat.

Tum loca similia ex authoribus conferat, si quid diuersum, si quid affine, si quid imitatum, si quid allusum, si quid aliunde translatum, aut mutuo sumptũ, vt sunt pleraq; latinorum à græcis profecta, ne id quidem taceat. Postremo ad Philosophiam ueniat, & Poëtarum fabulas apte trahat ad mores, uel tanquàm exempla, ut Pyladis & Orestis, ad amicitie commendationem. Tantali fabulam ad auaritie detestationem. In his non mediocriter adiuuabit doctẽ Eustathius, Homeri interpres. Atq; ita fiet (si modo sit ingenij dextri præceptor) aut etiam si quid incidet, quod inspicere possit ætatem illam, non solum non officiat moribus, uerum etiam utilitatem aliquam ad

D ferat,

CATECHESIOS PVERORVM

ferat, uidelicet animis partim ad annotationem intē-
tis, partim ad altiores cogitationes auocatis. Velu-
ti si quis prælecturus secundam Maronis æglogam,
commoda præfatione præparet, uel potius prænu-
n-
ciat auditorum animos, ad hunc modum ut dicat, A-
micitiā non coire nisi inter similes, similitudinem
enim esse beneuolentiæ mutæ conciliatricem, cōtrā
dissimilitudinem odij, dissidijq; parentem. Quoq; ma-
ior stabiliorq; ac uerior, similitudo fuerit, hoc firmi-
or, atq; arctior est amicitia. Id nimirum sibi uelle tot
apud authores prouerbia. Boni ad bonorū cōuiuia,
& inuocati accedunt. Et simile gaudet simili, et æqua-
lis æqualē delectat, & æqualem tibi uxorem quære.
Et ut semper similem ducit Deus ad similem, & sem-
per graculus aspidit graculo. Et similes habēt labra
lactucas. Et pares cū paribus facillime cōgregantur.
Et Cascus Cascam ducit. Et balbus balbum rectius in-
telligit. Et cicada cicadæ chara, formica formicæ. Et
Cretensis cū Aegina. Cōtrā tot dissimilitudinis ada-
ga, nihil aliud sibi uelle, quam inter eos, qui dissimi-
li sunt fortuna, dissimili uitæ instituto, dissimilibus stu-
dijs, aut omnino nō coire amicitiam, aut si coierit, nō
coherere, citoq; dirimi, atq; ob id fieri, ut idiota stu-
diosum literarum oderit, prophanus sacerdotē, ris-
ticus aulicum, iuuenis senem. Atq; in eodem genere,
Epicureus Stoicum, Philosophus iuris consultum,
Poëta theologū, Balbus eloquētem. Hinc geminorū
gratiā

gratiam fratrum, Amphionis & Zeti penè dissiliisse, quòd alter lyræ studiosus esset, alter agris colendis gauderet, ac dissilierat, nisi Amphion abiecta lyra, fratris ingenio cessisset. Ob eandem causam insynce-
ra fuit Castoris & Pollucis amicitia, neq; caruit infamia tentati parricidij, cum uterq; eodè ex ouo essent prognati, ut iam magis esse gemelli non possent, quòd alter pugil esset, alter equis delectaretur. Hinc male conuenisse Remo cum Romulo, quòd alter tristioribus, ac seueris esset moribus, alter blandior, unde & Romulo pro Remo mutatũ nomen. Pessime conuenisse Caym cum Abel, quòd diuerso uitæ genere caperetur. Summũ autem amorem summæ similitudinis esse comitẽ, atq; ideo fictum à Poëtis quemadmodũ Narcissus, ante ab omni abhorrens consortio, simul atq; suam ipsius imaginem in limpidissimo fonte conspexisset, protinus amore flagrantissimo cœpit ardere. Quid enim nostri similius, quàm ipsa imago? Ergo cũ doctus doctum amat, sobrius sobriũ, modestus modestũ, probus probũ, nihil aliud amat uterq;, quàm suã ipsius in altero imaginẽ, hoc est seipsum, sed alio modo. Verũ ea similitudo, siquidẽ sita est in bonis animi, quæ uere sunt bona, hoc est, pietate, iustitia, temperantia, tũ eiusmodi nascitur amicitia, cuiusmodi sunt eæ res, quibus amicitia cõciliatur, hoc est honesta, uera, sincera, stabilis, æterna. Cõtra si in rebus corporeis ac fluxis, aut etiam turpibus, eam nec uere esse

D amici

CATECHESIOS PVERORVM

amicitiam, nec iucundam, nec diuturnam ostendet. Proinde Platonē duas finxisse Veneres, alterā cœlestem, alteram terrestrem. Duos item cupidines, suæ utrunq; matri respondentes. Cœlestem ueras gignere formas, & huius filium ueros, & honestos immittere amores. Inter bonos semper amorem esse mutuum, inter uulgares plerumq; alterū amare, alterum odisse, alterum prosequi, alterum fugitare. Id accidit ferè propter ingeniorū, uitæq; dissimilitudinem. Quod quidem eleganter significat apud Poëtas Cupido, qui nōnunquā hunc aurea cuspide figit, illum plumbea, illum ut amet, hunc ut abhorreat, atq; hoc amicitiæ genere nihil esse potest infœlicius. Eius igitur amicitiæ male cohærentis, quasi simulachrum quoddam, in hac ægloga proponit Vergilius. Corydon rusticus Alexis urbanus: Corydon pastor, Alexis aulicus: Corydon indoctus (nam huius carmina uocat incondita) Alexis eruditus: Corydon ætate prouectus, Alexis adolescens: Corydon deformis, hic formosus: Breuiter, dissimilia omnia. Quare prudentis est, amicū suis moribus aptum diligere, si uelit amare mutuum.

Hæc inquam si præfertur, tum autem locos demonstratorios perperam, & bucolice à rustico affectatos indicet, nihil opinor turpe ueniet in mentem auditoribus, nisi si quis iam corruptus accesserit. Nā iste uenenum non hinc hauserit, sed huc secum attulerit. Hoc exemplum uerbosius exposui, quo facilius in cæteris,

teris, itē sibi quisq; similia reperiat. Iam in aggressu cuiusq; operis conueniet in genere demonstrare, quæ sit argumenti natura, & quid in eo potissimum sit spectandum. Vclut in epigrammatis argutam breuitatē laudari. Tum iocandi rationes, quas Fabius & Cicero tradunt, indicabit. Hoc genus præcipue gaudere Epiphonematis, commode in fine adiectis, quæ cogitationē uelut aculeatā in animo lectoris relinquant.

TRAGOEDIA.

In Tragœdia præcipue spectandos affectus, & quidem ferè acriores illos, ij, quibus rebus moueantur, paucis ostendet. Tum argumenta ueluti declamatorium. Postremo descriptiones locorum, temporum, rerū, aliquoties & argutas altercationes incidere, quæ nunc distichis, nunc singulis uersibus, nunc hemistichijs absoluantur.

COMOEDIA.

In Comoedia cum primis obseruandum esse decorum, & uitæ communis imitationem, affectus esse mitiores, & iucundos magis quàm acres. Decorum autem in primis spectari, non solum illud commune, ut adolescentes ament, lenones peierent, blandiatur meretrix, obiurget senex, fallat seruus, iacte se miles, atq; id genus alia. Verum peculiare quoddam quod suo arbitratu alijs aliud affingit Poëta. Velut in Andria duos inducit senes, longe diuerso ingenio. Simonem uehementem, ac submorosum, haud stultum ta-

D S MEN,

CATECHESIOS PVERORVM

men, nec improbum. Contra Chremetem ciuilem, ac
semper placidum, ubiq; sibi presentem, omnia quan-
tum potest pacantem, at ita tamen lenem, ut minime
stupidū. Duos item adolescētes dissimili natura. Pam-
philum cordatum pro ratione ætatis, & cōsultabun-
dum, sed acriorē, ut Simonis filium possis agnoscere.
E diuerso Charinum puerilem, ineptum, consiliq; in-
opem. Rursum seruos duos diuersis moribus. Dauum
uafrum & consilijs abundātem, ac sperandi pertina-
cissimum authorem. E regione Birriam nullius consi-
lij, tantum perpetuū desperationis authorem hero.
Ad eundem modum in Adelphis. Mitionem etiā in ob-
iurgando mitem ac festiuū. Demcam etiam in blandi-
endo amarulentum. Rursum Aeschinum propter ur-
banæ uitæ consuetudinem, & Mitionis fiduciam nihil
non audentem, sed ita ut probum ingenium deprehen-
das, officiosum in fratrem, fidum in puellam. E diuer-
so Ctesiphontem subrusticum ac timidū propter ea-
rum rerum insolētiam, Syrum callidum, & audacē,
nihilq; non simulantem, ac dissimulantem, adeo ut so-
la ebrietas detexerit illius fucos. Dromonem stupi-
dum, atq; hebetem. Sed ista persequi non huius est in-
stituti, in præsentia satis est uiam indicasse. In æglo-
gis admoneant esse aurei seculi, ac priscae illius uitæ
imaginem. Proinde quicquid illic est sententiarum, si-
milium ac comparationum, à uita pastorali sumi, af-
fectus sunt simplices, cationibus, sententijs, ac pro-
uerbijs

uerbijs delectantur, superstitione & augurijs capiuntur. Ad eundem modum, quid proprium habeat carmen Heroicum, quid Historia, quid Dialogus, quid Apologus, quid Satyria, quid Oda, quid reliqua scripti genera curabit admonere. Tum quæ sint singulorum authorum in singulis argumentis dotes, aut etiam uitia, non grauabitur indicare. Quo iam tum adæsuæcant adolescentes, ei quod est in omni re præcipuum (iudicio) atq; in hac parte præceptorem, præter artem, & ingenium.

CICERO DE CLARIS Oratoribus.

Adiuuabit etiam libellus Ciceronis de claris Oratoribus, & Quintiliani, Senecæ atq; Antonij Campani de scriptoribus censuræ, neq; non ueteres interpretes, præcipue Donatus hac in re peculiariter occupatus. Huc pertinet & consilij ratio, ueluti quare Marcus Tullius in defensione Milonis finxerit sese timere. Et quare Vergilius tantopere laudibus uehat Turnum hostem Aeneæ, & quare abdicatus medicus apud Lucianum non lædit nouercam, sed magis laudat, & in patrem acrior est quàm in nouercam. Sed id quoq; in immensum patet.

At iudicabit aliquis hæc nimium habere negocij, equidem præceptorem eruditum, longoq; usu exercitatum uolo esse. Is si continget, hæc etiam facile percipient pueri. Quòd si qua initio erunt duriora, progressu & assuetudine mollescent.

D 4 Optimis

CATECHESIOS PVERORVM

OPTIMIS ADSVESCENDVM.

Optima certe sunt, nisi fallor, & optimis conuenit statim assuescere, quanquàm hæc non ubiq; omnia sunt inculcanda, ne tædio grauentur ingenia discensium, sed ut inciderint insigniora. Neq; uero minorẽ adhibeat curam præceptor in exigendo quæ commiserit, quàm in prælegendo.

Est omnino labor hic docendi grauissimus, sed discensibus utilissimus. Nec ordinem exigat duntaxat, sed quicquid scitu dignum fuerit creditum, id assuescât bona cum fide reddere, Neq; uero deterreat ab hac re difficultas, quæ uel menstruo temporis spacio uincitur. Mihi nũquàm placuit, ut omnia dictata scribant adolescentes, sit enim hoc pacto, ut memoriæ cultus negligatur, nisi si qui pauca quædam notulis uelint excipere, idq; tantisper donec usu cõfirmata memoria, scripti non desyderent adminiculũ. Postremo tantum arbitror esse momenti in commoda docendi ratione, si modo diligens & eruditus contigerit præceptor, ut non dubitarim meo recipere periculo, me minore negocio, ac paucioribus annis adolescẽtes ad utriusq; linguæ mediocrem etiam eloquentiam perducturum, modo dentur ingenia non omnino infelicia, quàm isti literatores ad qualemcumq; illam suam balbutiem uel infantiam potius prouehunt suos.

His igitur rudimentis puer in prima imbutus schola, deinde bonis auibus ad altiores disciplinas conse-

rat

rat sese, & quocunq; se uerterit, facile declarabit, quantopere referat ab optimis auspiciatum fuisse.

Hæc habui in præsentia mi charissime Petre, quæ tibi de studij ratione scriberem, ea si placent, utere, sin minus, sedulitatem certe nostram pro tuo candore boni consules. Tu modo perge ita ut instituisti, in bonas literas incumbere, ac Galliam tuam, alioqui florentissimam, honestissimis etiam studijs illustra. Vale.

DE RATIO-

NE DISCENDI ET OFFICIO

discipulorum, ex Cicerone, Guarino,

Quintiliano, Erasmo, & Phi-

lippo &c.

GVARINVS.

DISCENDI CVPIDITAS DOCET.

A Dulescentes ipsos admonemus. Primum, ut quam eis præceptor extrinsecus tradere non potest discendi cupiditatē, ipsi per se sponte illā arripiant, & ad hydropis similitudinē se conforment, cui (ut inquit Ouidius) quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ, sic & ipsi quo plura indies didicerint, eò plura percipere, & haurire, tanquàm diuturnam sitim

D s extine

CATECHESIOS PVERORVM

extinguere cupientes, incitentur, teneantq; illud assidue ante mentis oculos, quod Isocrates græcus præcepit, *Si eris discendi studiosus, multa disces.*

NIHIL SINE MAGNO LABORE
natura dedit mortalibus.

Facile autem ad eam auiditatem seipsos exhortabuntur, si (ut idem inquit Isocrates) turpe esse cogtauerint, mercatores tot, tantaq; maria nauigare, ut diuitias amplificent, iuniores uero terrestri itinere ad præceptores non tendere debere, ut meliorē mentis habitum constituent.

OPTIMVS THESAVRVS VIR-
tus & eruditio.

Si animo etiam uersauerint, nullam esse possessionem doctrina honestiorem, aut stabiliorem. Nam pulchritudinem & robur, etiam si nullo morbo diminuantur, certe senectus ipsa conficit. Pecuniæ uero sæpius inertiae causam, quam adipiscendæ uirtutis materiam præstant. Nam sicut in extrema inopia positus, haud facile est emergere, ita omnium rerum copia affluentes, ad uoluptatem facillime alliciuntur. Vbi autem uoluptatis regnum adsit, ibi difficile est uirtutem consistere.

DE PRAECEPTORE COLENDO.

Deinde in Præceptore colendo paternam sibi constituent sanctitatem. Nam si eum contempserint, eius quoq; præceptionem contemnant necesse est. Neque
enim

enim existimandū est, maiores illos temere præcepto-
rem sancti uoluisse parentis esse loco, sed ut ille maio-
re cum diligentia beneuolentiāq; eos instrueret, ipsi
autē uerebundi eius dicta uelut ē paterna quadā affe-
ctione manantia, obseruanda esse crederent.

Quo circa ea in re Alexandri magni exemplum
imitabuntur, qui non minus se Aristoteli præceptorī
quā Philippo patri debere prædicabat, propterea
quod ab hoc esse tantum, ab illo & bene esse accepis-
set. Qui uero animus ita institutus fuerit, optimam de
se spem pollicebitur, ut omnium non modo expectati-
onem, sed etiam uota sit superaturus.

EA SPE DISCENDVM, VT IPSE
uicissim aliquando doceas.

Omniū autem præceptorū illud & primum,
& saluberrimum esse statuimus, ad quod omnia ue-
lut ad quendam, ut Græci dicerent, *σκόπον* sunt refe-
rēda, ut adolescentes ipsi aliquando se doctores fore
cogitent. Nam qui studiorum suorum testimoniū
nunquā reddendum esse putauerit, multa omittet,
plurima leuiter, & ut dicitur, in superficie illotis pe-
dibus pertransibit, nihil intime, & ad medullam
usque tentabit introspicere. Qui uero oportere quæ
didicerit, docere existimauerit, nihil intactum, aut
indiscussum relinquet, omnia quæ in quæstionem ue-
nire possint, sibi ipsi tanquā in Dialogo propo-
net, & disputationis ueritatem elicere conabitur.

Siquē

CATECHESIOS PVERORVM

Si quem etiam habebunt, cui exercitationis causa, quod audierint, exponant, nihil hoc erit utilius. Nam (ut ait Quintilianus) optimum proficiendi genus est, docere quæ didiceris.

DE LEGENDIS COMMENTARIIS.

Nec sint solum à præceptore audire contenti, sed qui in authores commentaria scripserunt, & probati sunt, eos ipsimet perlegant, & radicatus (ut aiunt) sententias, & uocabulorum uim annotent. Nouas ipsi sententias, & ad rem accomodatas exquirant.

DE EXERCITIO STYLI.

Explanationes quoque in libros scribere, uehementer conducet, sed tamen magis, si sperabunt eas in lucem aliquando prodituras. Attentiores enim ad eas sumus, ex quibus laudem uenari studemus. Hoc exercitationis genus mirifice acuit ingenium, linguam ex polit, scribendi promptitudinem gignit, perfectam rerum notitiam inducit, memoriam confirmat, postremo studiosis quasi quandam expositionum cellam promptuariam, & memorie subsidium præstat.

DE LECTIONE AVTHORVM

privata.

Vbi primum per se studere incipient, operam dabunt, ut eos uideant, qui uarijs ex rebus compositi sunt. Quo in genere est Gellius, Macrobius Saturnalium libris, Plinij naturalis historia, quæ non minus Plinius. uaria est, quam ipsa natura. His addimus Augustinum de Ci-

TOMVS SECVNDVS.

de ciuitate Dei, qui liber historijs, & tam ritu ueterum, quàm religionum refertus est.

AUTHORES QVOMODO excerpendi.

Sed omnino illud teneant, ut semper ex his quæ legunt, contentur excerpere, sibiq; persuadeant, quod Plinius dictare solebat, nullum esse librum tam malum, ut nõ in aliqua parte proficit.

Hæc studendi ratio apud ueteres obseruata fuit, adeo, ut Plinius maior, electorum centum & sexaginta Opistographos sororis filio reliquerit, quos aliquando quadringentis millibus nummum Largio Licinio in Hispania uendere potuit.

Ea uero potissimum excerpent, quæ & memoratu digna, & paucis in locis inuenire uidebunt. Erit hoc etiam ad orationis tum copiam, tum promptitudinem ualde idoneum, si inter legendum ex uarijs libris sententias, quæ ad eandem materiam pertinent, annotabunt, & in unum quendam locum colligent. Pythagoreorumq; more, quicquid excellens interdum legerint, uel audierint, uesperis commemorabunt. Imprimuntur enim ea confirmatione, adeo ut non difficile ex memoria aboleri queant.

Validior etiam illa erit impressio, si statuto aliquo mēsis die, perceptorū omniū memoria renouabitur.

QVOMODO GRAECE DISCENDUM sine præceptore.

In græc

CATECHESIOS PVERORVM

In græcis quam breuissime proficient, si cum primū fundamenta acceperint, non semper magistrum ducem expectabunt, sed ipsi se excitabunt, & magistri loco eos libros sibi desument, qui in latinum conuersi sunt, & unā cum græcis percurrendo, ex utrorūque lectione uocabula ipsi per se colligent. Inueniuntur nonnunquā, præsertim in sacris libris nonnulli græce latineque exscripti, ita ut ne una quidem syllaba interpretationis uersiculus, aut maior, aut minor sit. Ii ad hanc rem sic optime conducent, ut quosdam ego cognouerim, qui hac ratione ad maximam huius linguæ notitiam absque præceptore ullo peruenerint.

FREQUENTATIO ET ASSIDUITAS omnium disciplinarū magistræ.

Frequentanda erit in primis græcarum literarū lectio, nam si nostra, tēporis desuetudine dilabitur, quid de ea iudicandū est, quæ nobis naturalis nō est.

UTILITAS LECTIONIS CLARAE.

Oportet autem legentem non introrsum, aut sub lingua immurmurare, sæpe enim accidit, ut nec seipsum audiens, plurimos uersus quasi illinc alienus excurret. Clara autem lectio cum ad intelligendum nō mediocriter profit, utpote auribus uelut alio extrinsecus sonante mentis attentionem acriter excitantibus, nō parum etiam ad stomachi digestionem ualere ferūt hi, qui naturæ ac medicinæ secreta tenēt. Nam
ut etiā

ut etiam Pluta. tradit, vox quæ spiritus motus est, nõ in superficie, sed penitus intestina corroborat, colorem auget, & sanguinem attenuat, uniuersas emundat uenas, arterias etiam aperit, superuacancæ humiditatis uim constare, figiq; nullã sinit in his uasis, quæ cibũ assumunt, & excoquunt. Plinius quoq; lectionẽ græcam & latinã lectitare se refert, clare & intense, nõ tam uocis caussa, quàm stomachi. Ariston etiã dicere solebat, neq; balnei, neq; orationis non purgãtis, ullam utilitatem. Cauendũ tamen ne clamosa uox & uiolenta fiat. Intentiones nanq; nimic dirumpũt, & raucitatem frequenter inducunt.

In magno plerumq; numero legere si cõsueuerint, ea res pariet in pronunciandis orationibus audaciã, qua cũ multos nostris temporibus carere uideamus, tum uero Isocrates, quem eloquentiæ parentem appellare Cicero non dubitauit, adeo eius expertus fuisse ^{Isocrat.} dicitur, ut nec unam quidem orationem memoriter ^{αλλυήσους} pronunciare ualuerit.

Inter legendum non prius subsistere oportebit q̄ ad sententiam terminatam, quam clausulam uocant, peruenerint, quæ si primo (ut dicitur) congressu minime fuerit intellecta, reuocandus erit gradus, & attentiore mentis acie bis, terq; relegenda, donec obaudiens sensus diligentia pulsantis excitetur.

QVID POTISSIMUM SPERANDUM IN LECTIONE.

Sed

CATECHESIOS PVERORVM

Sed imitandi sunt, qui uehementer sitiunt, ij enim non prius toremata, & poculorum insignia contemplantur, quàm ardorem sitis restinxerint, ita studiosi primum sententias, moresq; decerpant, deinde ad dictionis florem conuertantur.

Quaedam sunt animalia, quæ florem depascuntur, ut apes: quedam ramos, ut capræ: quedam radices, ut fues. Studiosus uere eorū sibi exempla proponat, quæ omnibus his uescuntur.

HISTORIAE Q VOMODO legenda.

In Historia quid egregie, quid noue dictum sit: In uerborum compositione pure, & eleganter scripta: in sententijs quid fortiter, quid prudenter, quid iuste, quid modeste annotet.

POETICA Q VOMODO legenda.

De Poëtica, quod de Polypodis capite traditur, idem ipse sentiat. Aiunt siquidem qui de secretiore rerum natura tractant, sumptum caput illud in cibis plurimum suauitatis afferre, cæterum grauibis insomnijs, turbulentissimisq; fantasmatis sensum afficere, ita Poëtica hominum animos maxima quidem dulcedine alit, & pabulo, non minus uero turbarum & agitationis ingerit.

Quo circa inter legendum animi frenis uti opus est, nec ita fabularum studio efferri, ut figmenta illa sic nuda capiantur, sed unumquodq; quid utilitatis sub commento afferat, rimandum est, & id Catonis, quod

quod & de Cyro scribit Xenophon, obseruandum. Siquidem cum puer esset, præceptoris imperia obisbat quidem, sed cur imperarentur, causam sibi declarari petebat. Quæ apud Poëtas impie, crudeliter iniuste, turpiter dicuntur, non ea uitio danda sunt, sed artis excellentia consyderanda, quæ singulis personis decorum suum reddit.

Sic enim & alijs rebus accidere uidemus, ut à quibus re ipsa apparentibus animus abhorret, proprie tamen efficta libenter uel contemplerur, uel audiamus. Nam & Chrysoloram sic dicere solitum accipimus. Scorpios & serpentes quos fugimus, si pictos uera quadam imitatione uiderimus, magnopere delectamur. Suis grunitum, ferræ stridorem, uenti sybilum, maris strepitum cum audimus, turbamur animo, quæ tamen si quis ficta uoce imitetur, uoluptate quadam afficimur. Quæ uero in scriptoribus uitæ accommodata, & ad uirtutis rationem pertinentia reperiuntur, ea memoriæ commendanda sunt.

DE ORDINE INSTITVENDO.

Ordo potissimum in studendo adhibendus erit, ne uarios libros confuse legant, sed singulis lectionibus dispartitas horas haberi oportet, quæ una res plurimum prodest, & ad librorum uarietatem, & ad rerum consumationem, quod abunde & facile percipi potest, si quis statuta hora exiguum quod uel legat, uel exscribat, & id absq; ulla intermissione faciat, in

E telliget

CATECHESIOS PVERORVM

telliget enim paucis diebus multum se profecisse. Hoc illud sonat Hesiodi à parente nostro sic interpretatum. Paruula si tētes superadiecisse pusillis, Idq; frequens peragas, grandis cumulatur aceruus.

Perturbatione uero & ea quam græci Antaxian nominant, nihil non modo inutilius, uerum etiam deformius esse, ex alijs quoq; rebus intelligi licet.

Chorus ex multorum uarietate conficitur, qui si pro ut cuiusque animus tulerit, canere uoluerint, inconcinna quædam emergit, & auribus iniucunda clamantium confusio. Cæterum cum suo quisque loco & tempore, ut institutum est, ita uocem emittit, ex multiplici sono grata quædam, & consona exultat harmonia.

In exercitu quoq; idem cernere licet, ubi si passim, & neglecto ordine palantes euagentur milites, & facilem hostibus uictoriam præbent, & turpe quoddam oculis spectaculum offerunt, cum equites, pedites, currus, calones, sarcinæ promiscuè feruntur, & se in uicem si conserenda sit manus, impediunt: contra bene instructus exercitus, & amicis spem, & hostibus terrorem incutit, cum equites, scutatos, sagitarios, funditores suo quenq; loco procedentes, ordinemq; seruantes intuentur.

INCERTA LECTIO PLVRIMUM obest.

Quare non minus in literarij studij ratione, quam cæteris

caeteris in rebus utilem hunc esse arbitremur ordinem. Nam nisi diuisa fuerint lectionibus tempora, distrahitur multitudo liberorum animus, efficiturque, ut dum eodem tempore multa simul nobis uidentur cogitatione complectimur, nullam in partem liberè sortiamur & intentum mentis habitum. Adde quòd cum uesper memoria sint repetenda, quæ die cognouimus, difficile id assequi possumus, ut quid apud quæ que legerimus, unum sub aspectum nulla cum dubitatione, aut errore colligamus, nisi distincte omnia sese nobis offerant.

DE RATIONE STUDII EX

Ro. Agricola.

In studijs formandis duo præcipue spectanda sunt, primum quod studiorum genus maxime sectari uelis. Secundum, qua ratione, in eo quod elegeris plurimum efficias.

De primo, si facultatem uberior copia, & foelicior ingenij uis tributa est, quantum in te est, totis uiribus ad optima te conferto.

DE DELECTV STUDIORVM.

Optima autem sunt studia linguarum, Poësis, Oratoria, Geographia, Medicina, Historia, & cognitio sacrarum literarum.

STVDIA INVTILIA.

Steriles & ieiunæ scientiæ sunt, quas uocamus artes, Ius Canonicum, Barbaries grammatarum &

E 2 sophiæ

CATECHESIOS PVERORVM

sophistica Philosophorum, quæ miseras adolescentium onerant aures, & meliorem ingenij spem in plerisque; tenerioribus adhuc annis, uelut in herba enecant.

ARTIFICIUM STYLI FACILE

le assequendi.

Meliores artes sic recte ab infantia discas, si quod apud probatos authores legeris, id ipsum quàm maxime proprijs & idem significatinibus uerbis reddere uernaculo sermone coneris, ut quoties dicendum tibi aliquid est, aut scribendum, quando concipiendis uerbis apud animum tuum, sese quo natura fert uernaculus sermo ptulerit, statim quoq; latina uerba iam pridem illi hoc usu accommodata sequantur.

Adhæc si scribere uoles, optimum erit id ipsum quàm plenissime, rectissimeq; patrio sermone intra animum tuum formare, deinde latinis pure, proprieque id significantibus explicare, sic fiet ut omnia aperte, & quàm maxime plene dicantur. Et aliam uultam in epistola, quam de formando studio authoris scripsit elegantissimam.

MODVS REPETENDAE LE-

ctionis ex Erasmo.

Quibusdam prima ac unica ferè cura est, statim ad uerbum ediscere, quod equidem non probo. Est enim tum magni laboris, tum fructus propè nullius. Quorsum enim attinet Psitaci more, uerba non intellecta

lecta

lecta reddere? Cōmodiorem igitur uiam accipe. Lectionem quidem auditam continuo relege ita ut uniuersam sententiam paulo altius animo infigas.

Deinde à calce rursus ad caput redibis, & singula uerba excutere incipias, ea duntaxat inquirens, quæ ad Grammaticam curam attinent. Videlicet, si quod uerbum obscure, aut ancipitis uariationis, si heteroclitæ coniugationis, quod supinum, quod præteritū faciat, quos habeat maiores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet, & huiusmodi nonnulla.

Hoc ubi egeris, rursus de integro percurrito & iam potissimum inquirens quæ ad artificium rhetoricum spectant.

Si quid uenustius, si quid elegantius, si quid concinnius dictum uidebitur, annotabis indice, aut asterisco apposito. Verborum compositionem inspicias, orationis decora sciscitabere. Authoris consilium indabis, qua quicquàm ratione dixerit.

Vbi quid te delectauerit uehementius, caue præter casam (quod aiunt) fugias, fige pedem, ac abs te ipso rationem exige, quare tantopere sis ea oratione delectatus, cur non ex cæteris quoque parem ceperis uoluptatem.

Inuenies te acumiue aut exornatione aliqua oratoria, aut cōpositionis harmonia, aut (ne omnia persequar) simili quadam caussa commotum fuisse.

CATECHESIOS PVERORVM

Quòd si aliquod adagium, si qua sententia, si quod prouerbium uctus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breuiter, acute, aut ali quod ingeniose dictum esse uidebitur, id tanquàm thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito, ad usum & imitationem. His diligenter cura tis, ne pigeat quarto iterare.

Nam hoc habent eruditorum uirorum, summo in genio, summis uigilijs elucubrata scripta, ut millies relecta, magis magisq; placeant, semperq; admira tori suo nouum miraculum ostendant.

Id quod tibi in tabula tua sæpenumero, nec sine caussa laudata, euenire solet, quod antea nõ animad uertisses, idem tibi multo amplius in bonis authori bus eueniet.

Releges igitur quarto, ac quæ ad philosophiam, maxime uero Ethicem referri posse uideantur circũ spicies, si quod exemplum quod moribus accommo dari possit. Quid autem est, de quo non, uel exemplũ uiuendi, uel imago quædam, uel occasio sumi queat? Nam aliorum pulchre ac turpiter factis, quid deceat, quid non, iuxta uidemus.

Hæc si facies, iam uel edidiceris, quamquàm aliud egisti.

Tum demũ, si libet, ad ediscendi laborem accedi to, qui tum aut nullus erit, aut certe perquã exiguus.

Quid deinde? Restat ut cum studiosis congregia ris, tua

ris, tuas annotationes in medium proferas, uicissimq;
illorum audias, alia laudabis, alia reprehendes, tua
partim defendes, partim castigari permittes.

Postremo quod in alijs laudasti, tuis in scriptis imi-
tari conaberis.

Item à lectione subinde surgas, ac tecum inambu-
lans quæ legeris repetas.

DE OFFICIO DISCIPVLORVM
ex Quintiliano libro secundo.

DE CVLTV ET OBSERVAN-
tia præceptoris.

Plura de officijs docentium locutus, discipulos id
unum interim moneo, ut præceptores suos non mi-
nus, quàm ipsa studia ament, & parentes esse, nõ qui-
dem corporum, sed mentium credant. Multum hæc
pietas confert studio. Nam ita & libenter audient, et
dictis credent, & esse similes concupiscent, in ipsos
deniq; cœtus scholarum læti, & alacres conuenient,
emendati non irascentur, laudati gaudebunt, ut sint
charissimi studio merebuntur. Nam ut illorum offici-
um est docere, sic horũ præbere se dociles, alioquin
neutrum sine altero sufficit. Et sicut hominis ortus
ex utrôque gignentium confertur, & frustra sparse-
ris semina nisi illa præmollitus fouerit sulcus, ita elo-
quentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis, ac-
cipientisq; concordia.

CATECHESIOS PVERORVM

DE EDISCENDO.

Illud ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus nunc differimus, ætatibus, ne omnia, quæ scripserint, ediscant, & certa, ut moris est, die dicant. Quod quidem maxime patres exigunt, atq; ita demum studere liberos suos, si quàm frequentissime declamauerint, credunt, cum profectus præcipue diligentia constet. Nam ut scribere pueros, plurimumq; esse in hoc opere planè uelim, sic ediscere electos ex orationibus, uel historijs, aliouè quo genere dignorum ea cura uoluminum, locos, multo magis suadeam. Nam etiam exercebitur acrius memoria aliena complectendo quàm sua. Et qui erūt in difficiliore huius generis labore uersati sine molestia, quæ ipsi composuerunt iam familiarius animo suo affigent, & assuescent optimis, semperq; habebunt intra se quod imitentur. Etiam non sentientes, formam illam, quam mente penitus acceperint, exprimēt. Abundabunt autem copia uerborum optimorum, & compositione, ac figuris iam nō quæ sitis, sed sponte, & ex reposito, uelut thesauro se offerentibus. Accedit his & iucunda in sermone idonea quoque dictorum relatio, & in causis utilis. Nam & plus auctoritatis afferunt ea, quæ ipsi scripserint, dicere ut laboris sui fructum etiam ex illa, quæ maxime petitur, laude plurimum capiant. Verum id quoq; tum fieri oportebit, cum aliquid commodius elimaauerint, ut

ue

eo uelut præmio studij sui donentur, ac se meruisse ut dicerent, gaudeant.

QVI PRIMI LEGENDI.

Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis super erit quæstio, qui legendi sunt incipientibus, nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus uidebatur, probauerunt, alij floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accõmodatum. Ego optimos quidem & statim, & semper, sed tamẽ eorum candidissimum quenq; & maxime expolitum uelim, ut Liuium à pueris magis quàm Salustium, & hic historiæ maior est author, ad quem tamen intelligendum iam profectu opus sit. Cicero ut mihi quidem uidetur, & iucundus incipientibus quoq; & apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum quemadmodum Plinius præcipit, ut quisq; erit Ciceroni simillimus. Duo autem genera maxime cauenda pueris puto, unum ne quis eos antiquitatis nimius admirator, in Gracchorum, Catonisq; et aliorum similibus lectione durefcere uelit, fient enim horridi, atq; ieiuni. Nam neq; uim eorum adhuc intellectu consequetur, & elocutione, quæ tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis uiris uidebuntur. Alterum quod huic diuersum est, ne recentis huius lasciuie flosculis capti uoluptate quadam praua deliniantur, ut prædulce illud genus, & puerilibus ingenijs.

Liuius.
Salustius
Cicero.

E s hoc

CATECHESIOS PVERORVM

hoc gratius, quo propius est adament.

Firmis autem iudicijs, iamq; extra periculum positis, suaserim & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac uirilis ingenij uis, deteriso rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius enitescet. Et nouus, quibus & ipsis multa uirtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnauit, sed dicendi mutauimus genus, et ultra nobis quam oportebat, indulsumus ita non tam ingenio illi nos superauerunt, quam proposito.

Multa ergo licebit erigere, sed curandum erit ne ijs quibus permista sunt, inquinentur. Quosdam uero etiam quos totos imitari oporteat, & fuisse nuper et nunc esse, quid ni libenter non concesserim modo, uerum etiam contenderim. Sed ij qui sunt, non cuiusque est pronuntiare. Tutius circa priores imitatio est uel erratur. Ideoq; hanc nouorum distuli lectionem, ne imitatio iudicium antecederet.

DE PRAECEPTORE ELIGENDO

& obedientia illi exhibenda.

Præceptorem tibi deligas quam eruditissimum. Neq; enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat, qui sit ipse ineruditus.

Quem simul atq; nactus fueris, fac modis omnibus efficias, ut ille patris in te, tu filij uicissim in illum induas affectum.

Neq; minorem enim honorem debemus ijs, à quibus re

Bus recte uiuendi rationem, quàm à quibus uiuendi initia sumpsimus.

Alioquin credito te frustra literatum præceptorem habiturum, nisi habueris & amicum.

Deinde ut te illi attentum, & assiduum præbeas.

Optima quæq; statim ac primum discere.

Extremæ est dementiæ, discere de discenda.

Præceptorem interpretantem, non attentus modo, sed & auidus auscultato.

Non contentus impigre sequi differentem, aliquoties præuolare contende.

Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis mandabis, fidelissimis uocum custodibus.

Noli committere, ut codices eruditos habeas, ipse ineruditus.

Audita ne effluant, aut apud te, aut apud alios retracta.

Diem in horas partire, quibus certe habeas quæ legas. Ne his contentus, aliquam temporis partem tacite cogitationi tribuere memento.

Conflictatio, & tanquàm palæstra ingeniorum, neruos animi præcipue tum ostendit, tum excitat, tum adauget.

Nocturnas lucubrationes atque intempestiua studia fugito.

Nam & ingenium extinguunt, & ualitudinem uehementer offendunt.

AURO

CATECHESIOS PVERORVM

Aurora Musis amica est, apta studijs.

SIGNA OPTIMAE INDOLIS EX

Erasmo atq; Politiano.

Magistris dare operam non assiduam modo, sed alacrem.

Doctoribus condiscipulis se adiungere. Et quos moribus uel famæ obfore credit, ab eorum consuetudine penitus abstinere.

Nullum cum alijs certamen habere nisi de literis, ac de ijs perpetuum.

Facile percipere quæ traduntur, retinere fideliter, imitari foeliciter, pronunciare diligenter.

Caueas ne loquendo præcipites sermonem, aut hæsites lingua, aut palato immurmures. Sed distincte, clare, articulatèque singula uerba proferre consuescas.

Pudere ab alijs superari, imò magis præuolare.

Si emendatus non irascare, laudatus gaudeas.

Studere ne quid ineptum, immodestum, improbum siue durum in te appareat.

Ne inuerecunda frons, elatum superciliū, licentes oculi, proteruior lingua, siue inconstans uultus notari possit.

Et non aliquid postremo uel in facie tota, uel in gestu, uel in statu, uel in cessu quod offendat, quod molestum aut odiosum esse possit.

Magna sibi facile promittere,

Bene

Bene de omnibus & suspicari & sentire.
Verbera metuere.

DE STVDIORVM OMNI-
um fine.

Finis studiorum hic esto, non ut gloriam uel diuiti-
as tibi compares, sed quia pulchrum est uirtute præ-
stare, Patriæ prodesse, alios quoq; docere, seipsum
cognoscere, & naturæ archana scrutari. Vbi fallun-
tur maxime, qui eas uocant literas bonas, quæ linguã
perpoliunt tantum, & ad id tantum student, ut diser-
ti & scioli uideantur, non ut ipsi meliores etiam inde
fiant, quod non solum parum Christianum, uerum eti-
am Aethnicum & diabolicum est.

DE RATIONE STVDII ERASMVVS.

PRincipio duplex omnino uidetur cognitio, re-
rum, ac uerborum. Verborum prior, rerum po-
tior. Sed nonnulli dum ἀνίησι (ut aiunt) ποσιν ad res
discēdas festinant, sermonis curam negligunt, & ma-
le affectato compendio, in maxima incidunt dispen-
dia. Etenim cum res non nisi per uocum notas cogno-
scantur, qui sermonis uim non calleat, is passim in re-
rum quoq; iudicio cæcutiat, hallucinetur, deliret ne-
cesse est. Postremo uideas nullos omnium magis ubiq;
de uoculis cauillari, quàm eos qui iactitant sese uer-
ba negligere, rem ipsam spectare.

OPTIMA PRIMVM DISCENDA.

Quæ

CATECHESIOS PVERORVM

Quapropter utroq; in genere statim optima, & quidem ab optimis sunt discenda. Quid enim stultius quàm magno labore discere, quæ postea maiori cogaris de discere? Nihil autẽ facilius discitur, quàm quod rectũ, ac uerum est. At praua si semel in hæserint ingenio, dictum mirum quàm non possint reuelli.

LATINA ET GRAECA GRAM-
matica simul discenda.

Primum igitur locum Grammatica sibi uendicat, eaq; protinus duplex tradenda pueris. Græca uide licet, ac latina. Non modo quòd his duabus linguis omnia fermè sunt tradita, quæ digna cognitu uideantur, uerum etiam quòd utraq; alteri sic affinis est, ut ambæ citius percipi queant coniunctim, quàm altera sine altera, certe quàm latina sine græca. A Græcis auspiciari nos mauult Quintilianus, sed ita, si his literis perceptis, non longo interuallo latine succedant, sane utrâsque pari cura tuendas esse monet. Atque ita futurum, ut neutrae alteris officiant. Ergo utriusque linguae rudimenta & statim, & ab optimo præceptore sunt haurienda, qui si forte non contingat, tum (quod est proximum) optimis certe utendũ authoribus, quos equidem per paucos, sed delectos esse uelim.

IUDICIUM DE GRAMMATICIS.

Inter græcos Grammaticos nemo non primum lo
Gaza cum tribuit Theodoro Gazæ, proximum mea senten
tia Con

tia Constantinus Lascaris sibi iure suo uendicat. Inter Latinos uetustiores Diomedes. Inter recentiores haud multum uideo discriminis, nisi quòd Nicolaus Perottus uidetur omnium diligentissimus, citra superstitionem tamen. Verum ut huiusmodi praecepta fateor necessaria, ita uelim esse quoad fieri possit, quàm paucissima, modo sint optima.

GRAMMATICIS SVCCEDANT
probatu auctores.

Nec unquàm probauit literatorum uulgus, qui pueros in his inculcandis complures annos remorantur. Nam uera emendate loquendi facultas optime paratur, cum ex castigate loquentium colloquio, conuictuq; tum ex eloquentium auctorum assidua lectione, è quibus ij primum sunt imbibendi, quorù oratio praeferquàm quòd est castigatissima, argumèti quoque illecebra aliqua discipulis blandiatur.

IUDICIUM DE AVTHORIBVS.

Quo quidem in genere primas tribuerim Luciano, alteras Demostheni, tertias Herodoto. Rursum ex Poëtis primas Aristophani, alteras Homero, tertias Euripidi, Nam Menandrum, cui uel primas daturus erã, desideramus. Rursum inter Latinos quis utilior loquendi auctor quàm Terentiùs? purus, tersus, & quottidiano sermoni proximus, tum ipso quoque argumèti genere iucundus adolescentiæ. Huic si quis aliquot selectas Plauti Comœdias putet addendas,

que

CATECHESIOS PVERORVM

quæ uacēt obscœnitate, equidem nihil repugno. Proximus locus erit Vergilio, tertius Horatio, quartus Ciceroni, quintus C. Cæsari. Salustium si quis adiungendum arbitrabitur, cum hoc non magnopere contenderim, atq; hos quidem ad utriusq; linguæ cognitionem satis esse duco.

A LECTIONE AVTHORVM, AD cognitionem rerum pergendum est.

Neq; enim mihi placent, qui in euoluendis hunc in usum authoribus, etiam quibuslibet, uitam omnem cõterunt. Prorsus infantem existimantes eum, quem ulla chartula suffugerit. Ergo parata sermonis facultate, si non luxuriosa, certe casta, mox ad rerum intelligentiam conferendus est animus. Tametsi ex his quoq; scriptoribus, quos expoliendæ linguæ gratia legimus, non mediocris obiter rerum quoq; cognitio percipitur, uerum ex instituto omnis ferè rerum scientia à græcis authoribus petēda est. Nam unde nam baurias uel purius, uel citius, uel iucundius, quàm ab ipsis fontibus? Sed quo ordine disciplinæ discēdæ sint, & ex quibus potissimum præceptoribus, id aliàs fortasse rectius ostēdemus. Interim ad primæ ætatis studia reuertamur.

DE LAURENTIO VALLA.

Vt igitur ex his authoribus unde linguæ copiam petendam esse diximus, fructum capias & maturius, & uberiolem, Laurentium Vallam tibi censeo diligenter

genter euoluendum, qui de latini sermonis elegantia scripsit elegatissime. Huius adiutus præceptionibus, ipse per te non pauca annotabis. Neq; enim te uelim per omnia uelut addictum, Laurëtianis seruire præceptis.

FIGVRAE ET LOCI.

Adiuuabit hoc quoq; si figuras Grammaticas & Donato ac Diomedetraditas edidiceris, si carminis leges ac formas omnes tenueris, si Rhetorices summã, hoc est, Propositiones, Locos probationum, exornationes, amplificationes, transitionum formulas in promptu habueris.

Conducunt enim hæc non solum ad iudicandum, uerumetiam ad imitandum.

QVO IUDICIO AVTHORES
legendi.

His itaq; rebus instructus inter legendum authores nō oscitanter seruabis, si quod incidat insigne uerbum, si quid antique aut noue dictum, si quod argumentum, aut inuētum acute, aut tortum apte, si quod egregiū orationis decus, si quod adagiū, si quod exemplum, si qua sententia digna quæ memoriæ cōmendetur, Isq; locus erit apta notula quapiã insigniendus. Notis aut non solū uarijs erit utendum, uerumetiã accommodatis, quo protinus quid rei sit, admoneant.

DE DIALECTICA.

Ad hæc si quis Dialecticam addendam statuet, non
E admoe

CATECHESIOS PVERORVM

admodum refragabor, modo ab Aristotele eam discat, non ab isto loquacissimo sophistarum genere, neque rursus ibi desideat, & uelut ad scopulos (ut inquit Gellius) syrenios consenescat.

DE EXERCITIO STYLI.

Verum illud interim memineris, optimum dicendi magistrum esse stylum. Erit hic igitur in carmine, in oratione libera, in omni argumenti genere diligentius exercendus.

Memoria Neque negligenda memoria, lectionis thesaurus. Eam tametsi locis & imaginibus adiuuari non inficior, tamen tribus rebus potissimum constat optima memoria, intellectu, ordine, cura. Si quidem bonae memoriae pars est, rem penitus intellexisse. Tum ordo facit, ut etiam quae semel exciderint, quasi postliminio in animum reuocemus.

DE REPETITIONE.

Porro cura omnibus in rebus, non hic tantum, plurimum ualet. Itaque quae meminisse uelis, ea sunt attentius, ac crebrius relegenda, deinde saepius à nobis ipsis exigenda, ut si quid forte suffugerit, id restituatur. Illud minutius, sed tamen haud indignum quod admo-
neatur. Adiuuabit non mediocriter, si quorum necessaria quidem, sed subdifficilis erit memoria ueluti locorum, quos tradunt Cosmographi, pedum metricorum, figurarum grammaticarum, genealogiarum, aut si qua sunt similia, ea quam fieri potest breuissime
me si

me simul & luculentissime in tabulas depicta, in cubiculi parietibus suspendantur, quo passim & aliud agentibus, sint obuia. Item si quaedam breuiter, sed insigniter dicta uelut apophthegmata, prouerbia, sententias, in frontibus, atq; in calcibus singulorum codicum inscribes, quaedam annulis, aut poculis insculpes, nonnulla pro foribus, & in parietibus, aut uitreis etiam fenestris depinges, quo nusquam non occurrat oculis quod eruditionem adiuuet. Haec enim tametsi singula per se pusilla uideantur, tamen in unum collata aceruum, doctrinae thesaurum lucro augent, haud quamquam negligendo τὰ ἴσ' ἀφ' ἑνοῦ ἀπὸ δ' οὐτι, id est, his opibus properanti ditescere.

DOCERE ALIOS PRAESTAT.

Postremo illud non ad unum aliquid, sed ad omnia simul plurimum conducet, si frequenter alios quoque doceas. Nusquam enim melius deprehenderis quid intelligas, quid non. Atque interim noua quaedam occurrunt commentanti, differentiisque nihil non altius insurgitur animo.

IUDICIUM SENECAE DE AV-

thoribus legendis Lib. Episto. 1.

Epistola secunda.

Primum argumentum bene compositae mentis, existimo posse consistere, & secum morari. Illud autem uide, ne ista lectio multorum authorum & omnis generis uoluminum, habeat aliquid uagum et instabile.

F a Certis

CATECHESIOS PVERORVM

Certis ingenijs immorari & innutriri oportet, si uelis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubiq; est. In peregrinatione uitam agentibus hoc euenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittuntur. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio, non uenit uulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non cõualescit planta quæ sæpius transfertur: nihil tam utile est, quod in transitu proffit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaq; cum legere non possis quantum habueris, sat est habere quantum legas. Sed modo (inquis) hunc librum euoluere uolo, modo illum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ ubi uaria sunt & diuersa, coinquinant, non alunt.

Probatos itaq; semper lege, & si quando ad alios diuerti libuerit, ad priores redi. Aliquid quottidie aduersus paupertatem, aliquid aduersus mortem auxilij compara, ne minus aduersus cæteras pestes. Et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipse quoq; facio, ex pluribus quæ lego, aliquid apprehendo hodiernũ, hoc est quod apud Epicurum nactus sum. Soleo enim & in aliena castra transire, nõ tanquã transfuga, sed tanq̃ explorator.

Hone

Honesta, inquit, res est, laeta paupertas. Illa uero non est paupertas, si laeta est.

Cui enim cum paupertate bene cōuenit, diues est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat, aut foeneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda computat? Quis sit diuitiarum modus quæris. Primus habere quod necesse est, proximus quod sat est. Vale.

EXHORTATIO AD STVDIA
literarum.

Vnum illud adiiciemus, nostri quidem ordinis, sed non utilitatis extremum, quod tamen non magis præceptum, quam adhortationem existimari uolumus, ut nihil hoc literato ocio dulcius esse arbitrentur, quod (ut ait Cicero) adolescenciam agit, senectutem oblectat, secundas res ornat, aduersis per fugium, ac solatium præbet, delectat domi, non impedit foris, ac propterea nullum tempus ab his studijs uacuum præterlabi sinant. Hoc sit eis negocium, hic labor, hæc quies, in his uigiliæ, in his etiam somnus reponatur. Quid enim honestius facere possunt, quam cum otium appetunt, in eo ocio uersari, quod ab omnibus semper et utilissimum et iucundissimum est iudicatum? Quantum temporis alæ, quantum pileæ, quantum spectaculis tribuunt, tantum ipsi ad hæc recolenda studia sumant, ubi nō deerit quod uideāt, quod spectent, quod

B 3 admi

CATECHESIOS PVERORVM

admirentur, cui applaudant, ubi dum erunt nihil au-
dient, quod audisse, nihil dicent quod dixisse poenite-
at. Nemo apud eos quęquām sinistris sermonibus car-
pet, neminem ipsi reprehendent, nulla spe rerum ina-
nium, nullo timore sollicitabuntur, nullis rumoribus
inquietabuntur, secum tantum, & cum imbellibus at-
que etiam, quod ceteris negatum est, cum mortuis lo-
quentur, Hęc est illa uita, quam regiam, synceramq;
Plinius iunior appellabat. Hoc est illud otium, quod
dulce, honestumq;, ac penē in omni negotio pulchri-
us, idem palām affirmabat. Hoc est quod satius esse
Attilius eruditissime simul, & facetissime dicere sole-
bat, otiosum esse, q̄ nihil agere. Hac ratione Plinius
ille maior, omne tēpus perire arbitratur, quod stu-
dijs non impenderetur, cuius adeo parcus extitisse di-
citur, ut Plinium minorem, sororis suę filium sæpius
corripuisse dicatur, quod ambularet, & quia scili-
cet, tempus illud non perdere poterit, quin imō cum
de maiorum more legi faceret, & lector, quem grę-
ci ἀναγνώστης nominant, quędam perperam pronunti-
asset, quidam ex amicis reuocauit, & repeti coęgit,
Cui Plinius, nempe intellexeras, inquit, & cum ille
annuisset, cur ergo reuocabas? Decem amplius uer-
sus hac tua interpellatione perdidimus. Cato quoque
qui post mortem Vticensis est cognominatus, ne tem-
pus perderet, interim dum senatus cogeretur, in cu-
rie uestibulo aliquid lectitasse fertur. Accusasse na-
turans

turam Theophrastus dicitur, quod cornicibus & ceruis longam uitam prestitisset, & quibus diu uiuere nihil necesse erat, hominibus uero breuē, qui multis seculis ad infinitam rerum cognitionem indigebant. Quod an Philosopho graui deplorare conueniat, ipse uiderit. Nos tamen hoc teneamus non oportere inane hoc tempus effluere, quod ille breue nimis esse conquerebatur. Habent ceterae animantes insitum aliquid natura, ut equi currere, aues uolare, hominibus uero sciendi cupiditas tradita est, unde & humanitatis studia sunt nuncupata. Quam enim Graeci παιδείαν uocant, nos eruditionem, institutionemque in bonas artes dicimus, eam humanitatem quoque ueteres nominarunt, quia scientiae cura ex uniuersis animantibus uni homini data sit. Hoc autem

studiorum genus uariam magis quam re-

liqua, scientiam complectitur. Ceterū

(ut spero) qui iam per

se ipsos scripta intel-

ligent, tantam

studendi


uolu-

ptatem

se percipient,

ut nostris adhorta-

tionibus minime egeant.

CATECHESIOS PVERORVM
 TOMVS
TERTIVS CATECHIS
mi puerorum.

LOCI COMMVNES.

DEVS unus est.
Id animaduertimus primo ex contemplati
one naturalium rerum. Rom. 1.

2. Ex scripturis sanctis.

3. Ex spiritu Dei trahente.

Agitur diligenter contemplanda sunt opera Dei.

Aſidue meditandum eſt in lege Dei, die ac nocte.

Acquieſcendum ſpiritu monenti & trahenti.

Dij plures non poſſunt eſſe.

Dij gentium non ſunt Dij.

Huic Monadi diuinæ non repugnat Trinitas.

Verum illa ex ſcriptura creditur, non curioſe ue
ſtigatur.

Hic Deus creauit & ex nihilo ſecit omnia. Gen. 1.

Nec mūdus ille uiſibilis ſemper fuit, ut rugati ſunt
Philoſophi. Gen. 1.

De cuius primordio & conſtitutione ſic habet.

Ediſſere caput Geneſis primum.

Nihil habeat fidus præceptor antiquius, quàm ſe
culo inculcare pueris fidem ſcripturarum.

Creauit & de terra hoïem. Ediſſere caput. Ge. 3.

Inde

Inde statim reuelatum est peccatum, & descendiit ira Dei.

Hoc peccatum tatum fuit, quod descendiit in omnes homines, & omnibus posteris adheret nobis. Ro. 4.

Interim cum serè iam impune peccaretur, litatumque demonibus fuisset, idq; toto adeo orbe, ne deesset suis, per Mosen legem dedit, ut per legem cognito peccato, uel sic tandem faceremur à peccato.

Incredulos, insita naturali lege, reliquit, ubi seueriter semper puniuit peccata, non tam apud Iudæos, quàm apud Aethnicos etiam, magis quàm nunc.

Sedulo huiusmodi inculcet pius præceptor. Inijcunt præterea terrorem naturæ alioqui ad peccatū propense, si Dei uindictam in peccatores sæpius inculcaueris. Quibus hæc usq; adeo meditata non fuerint, consulant Pandectas nostras.

Sed cum nec sic quidem emendaretur genus humanum, misertus tandem nostri Deus Opt. Max. præfinitis temporibus, misit filium suum in carne in similitudinem peccati, ut aboleret prorsus omne peccatum. Ephesi. 1. 2.

Hic est ille agnus Dei, filius patris, qui est propitiatio pro peccatis nostris.

Hoc est Euangelion quod prædicamus, & hæc est confessio fidei nostræ.

Non est aliud nomen sub cælo in quo nos oportet saluari.

F s Hoc

CATECHESIOS PVERORVM

Hoc uerbo nos debemus consolari in omni tribulatione, & maxime iam spiritum reddituri.

Hoc firmiter credere debemus, atque exinde linquere ueterem hominem, induere uero nouum hominem, qui secundum Christum formatus est, ut gratissimus seruatori nostro.

Necq; iam quasi per legem amplius coacti debemus benefacere, sed hilari magis animo, ut filij amantes, non ut serui sub iugum coacti.

Hæc omnia uelut una, quod aiunt, fasce completitur Symbolum Apostolorum, quod sic habet.

ARTICVLI FIDEI.

Credo in Deum.

Accedentem ad Deum oportet credere Deum esse se, & esse remuneratorem quærentibus se. Heb. 11.

Sola fides iustificat.

Fides præcipuum opus est Christiani.

Quicquid est extra fidem peccatum est.

PATREM.

Deus pater noster, Matth. 6. 7. Hier. 31.

Factus sum Israel pater, Malac. 1. Si pater tuus ego sum, ubi honor meus? Ioannis. 5. 6. 8. 10. 11. 12. 13. & 14.

OMNIPOTENTEM.

Omnipotens est Deus. Hieremiæ. 32. Ecce ego Dominus uniuersæ carnis, nunquid mihi impossibile erit omne uerbum, Lucæ. 1.

Mars

TOMVS TERTIVS.

49

Mar. 10. Omnia possibile sunt apud Deum.

Omnia uidet. Nunquid uir est in abscondito, & ego non uidebo eum?

Omnia replet. Psalm. 139. Si ascendero in caelum tu illic es.

Omnia potest. Hieremie 50. Quis est iste pastor qui resistet mihi.

Omnia sua sunt. Psalm. Meus est orbis terrarum.

Esaie. 66. Coelum mihi sedes est. &c.

CREATOREM caeli & terra.

Verbo Domini creati sunt caeli. Psalm. 32. Gen. 1. Psalm. 88. Tui sunt caeli & terra. Psalm. 101. Initio tu Domine terram fundasti.

ET IN Iesum Christum, filium eius unicum.

Christus filius Dei. Psal. 2. Ego dixi filius meus es tu. Ebraeorum. 1. Nouissimis diebus locutus est nobis per filium.

DOMINVM nostrum

Christus dominus Lucae 2. Ioannis 13. Psalm. 109. Matthaei 21. Dixit dominus &c.

QVI CONCEPTVS EST

de spiritu sancto.

Lucae 2. Spiritus sanctus superueniet in te. Esaie 3. &c. Accessi ad Prophetissam &c.

NATVS ex Maria uirgine.

Esaie 7. Matthaei 1. Ecce uirgo concipiet, & pariet filium,

Passus

CATECHESIOS PVERORVM

PASSVS SVB Pontio Pilato.

Christum oportuit pati. Luc. ult. Esa. 53. Zach.
51. Appenderunt mercedem meam.

CRUCIFIXVS.

Sap. 2. Circumueniamus pauperem iustum. Psal.
Foderunt manus meas, & pedes meos.

MORTVVS.

1. Corinth. 15. Tradidi vobis imprimis quod Chri-
stus mortuus est. Rom. 5.

DESCENDIT AD inferna.

Actorum. 2.

TERTIA DIE resurrexit.

Ion. 2. Luc. 11. Sicut Ionas fuit in ventre piscis &c.
Psal. 15. Propter hoc lætatum est cor meum &c.

ASCENDIT IN cœlum.

Psal. 68. Ascendit in altum. Psal. 104. Qui po-
nit nubem currum suum.

SEDET AD dexteram patris.

Psal. 109. Dixit dominus domino meo, sede à dex-
tris meis. Acto. 1. Ebre. 1.

Hæc oïa cò spectāt, si credimus Christum passum
pro nobis in carne, pro nobis crucifixū, & mortuū,
nos quoq; iuxta eandem cogitationem armemur, &
mortificemus mortalia nostra membra super terrā,
id est, varias concupiscentias & opera peccati, ut &
nos quoq; cum illo resurgamus, & ad eum ueniamus.
2. Petri 4.

Inde uē

TOMVS TERTIVS.

47

INDE uenturus iudicare uiuos & mortuos.

2. Tessa. 1. Actor. 1. Quemadmodum uidistis eum
ascendentem, sic ueniet.

CREDO in spiritum sanctam.

Iob. 16. Spiritus eius ornauit caelos, & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus. Gen. 1. Spiritus domini ferebatur super aquas.

SANCTAM ecclesiam catholicam.

Ecclesia Dei sancta, immaculata. Ephes. 1. 4. 5.

SANCTORVM communionem.

Omnes sancti in Christo unum sunt. Ro. 2. Gal. 3.

REMISSIONEM peccatorum.

Per Christum est nobis remissio peccatorum. Rom. 1. 5. Ioan. 2. Ebre. 5. 6. 7.

CARNIS resurrectionem.

Ezechielis. 37. 1. Corinthiorum. 15.

VITAM AETERNAM.

Esaie ultimo, Auris non audiuit &c. Quae praeparauit Dominus diligentibus se. Psalm. Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam praeparasti timentibus te.

SEQUELAE.

Ex ijs iam multa inferas atq; puero ut persuadeas licebit, nempe.

Quod opera nostra nos non beant, qualemcumq; tandem speciem habent pietatis, quia Christus solus nos sanguine & morte sua redemit.

Quod

CATECHESIOS PVERORVM

Quòd posthac legi obnoxij non sumus.

Quòd sanctis uane supplicatur.

Quòd quantum ad internum hominem, nullis neq; humanis legibus, neq; alicui creaturæ adstricti necessario sumus.

Quòd unus est & solus summus sacerdos, nempe Christus Iesus.

Quòd impietas est, simulachra in templis statuere, atq; deferre illis uel supplicare.

Quòd cæreis, sale, herbis, aqua, oleo & id genus alijs ceremonijs nulla paratur salus.

Et si quæ sunt alia, quæ hæctenus ad expiãda peccata celebrata sunt, ex eodem fonte, cui gloria Dei, & Christo animas lucrifacere cordi fuerit, præceptor edifferet.

PARADOXA QVAE MOX A PRIMIS annis pueris sunt instillanda.

Deus unus est.

Deus est omnipotens.

Omnia nouit, omnia uidet, omnia gubernat, ubiq; est, sempiternus, misericors, clemēs, paciens, uerax, iustus, terribilis, omnia disponens mortalibus bona & mala.

Deus trinus est & unus.

Deus diligit nos.

Dedit filium suum pro nobis.

Christus unica est salus nostrad

Vna est Ecclesia catholica.

Deus clementer remittit peccata confitentibus

Omnes resurgemus.

Qui bona fecerunt ibunt in uitam æternam.

Qui uero mala in ignem æternum.

Omnia de necessitate eueniunt.

Opera nulla saluant.

Non remittitur peccatum nisi per Christum.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal
Christi.

Arbitrium nullum liberum habemus.

Sunt electi & damnati ab æterno.

Vita Christiana operibus exprimitur, in primis
charitate.

Christianismus est perpetua mortificatio.

Magistratibus parendum est.

Conuenit & crebro ex ueteri testamento histori-
as recitare, & mirabilia Dei quæ fecit cum sanctis
suis.

A Q. VIBVS PVERI SINT

absterrendi & auocandi.

Auocandi sunt pueri à laruis & spectris noctur-
nis, ne huiusmodi credant aliquid esse.

Ante omnia uero ab impijs præceptoribus.

Impios uoco, quos non pudet palàm blasphema-
re nomen Dei, Videas enim hodie pueros quosdam
auerfari uerbū Dei, nō ob aliā caussam, quā q̄ impijs
precca

CATECHESIOS PVERORVM

præceptoribus adhæserunt, quibus imminet iudiciũ
iam olim, & asinaria mola, de qua dixit in Euangelio
Christus. Et erit finis eorum secundum opera eorũ.

Subinde ne credant coniurationes, consecratio-
nes, & id genus nugarum aliquid ualere.

Item à malis & impijs sodalitijs.

A lasciuo famulatio. Ab impudicis spectaculis.

Ab omni mulierum frequentia.

A choreis, & id genus lasciuis uanitatibus.

Ab lasciuis congressibus.

Ab prauis colloquijs.

Ab ocio.

Ab omnibus superstitionibus.

Ab solitudine.

A possessione pecuniæ, quoniam & uti non noue-
runt.

Ab inhonestis ludis.

DE MYSTERIO SIGNORVM.

De signis, quod alij subinde magnis commentarijs
agunt, ut suas opiniones persuadeant alijs, id puero
monuisse satis sit mortificationẽ præ se ferre, & ab-
negationem sui ipsius baptisma, atq; tum perfectum
esse, cum in hoc mundo desierimus esse, esseq; aliud nõ
hil, quàm perpetuam mortificationem sui ipsius.

Sic & Cœnam domini nihil aliud quam comme-
morationem passionis domini nostri Iesu Christi, &
gratiarum actionem, quem usum indicat & Paulus
2. Corinthiorum. 11.

SYMMA MOSAICAE LEGIS.

Et quia iuuentus freno indiget & crebris terricis
lameis

lamentis, per legem terrenda est, ex qua ut quaedam etiam ad uerbum teneant, curabis. Nos obiter in summam contraximus, quæ nobis præcipua uidebantur.

Deut. 6. Audi Israël: Deus tuus Deus unus est.

Exod. 20. Non habebis Deos alienos.

Exod. 20. Non facies tibi sculptile.

Per nomen aliorum Deorum non iurabis.

Odiū non habebis fratri tuo in corde tuo.

Non maledices surdo.

Coram cæco non ponas offendiculum, sed time dominum Deum tuum.

Non stabis contra sanguinem proximi tui.

Non eris criminator, nec susurro.

Publice argue fratrem tuum, ne habeas super illo peccatum.

Leu. 22. Nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.

Diligas amicum tuum sicut teipsum.

Proximum arguendo, non afficies opprobrio.

Deut. 22. Quem errantem fratris tui reduces illi.

Num. 15. Ne sequaris cogitationes tuas, et oculos per res uarias fornicantes.

Deut. 4. Non excidant uerba mea.

Deut. 13. Non audies uerba pseudoprophete.

Leui. 19. Non obseruabitis tempora.

Leuit. 20. Qui declinauerit ad magos, morte moriatur.

Deut. 18. Non inueniatur in te maleficus.

G

Non ob

CATECHESIOS PVERORVM

- Non obseruabis somnia.
Non inferas quicquàm ex Idolo in domum tuam.
Deut. 19. Non augurabimini.
Deut. 23. Non induatur mulier ueste uirili. Nec uir
utatur ueste foemine a.
Exod. 21. Viduæ & pupillo non nocebitis.
Leuit. 19. Aduenæ non exprobrabis.
Deut. 24. A uidua ne auferas pignus.
Deuterono. 27. Maledictus qui peruertit iudicium
aduenæ.
Leuit. 19. Iustè iudica proximo tuo.
Leuit. 20. Deut. 21. Filius contumax, in porta ciui-
tatis lapidibus obruatur.
Exod. 23. Non suscipies uocem mendacij.
Deut. 17. Non stabit testis unus contra aliquem.
Testis falsus morte moriatur.
Leuit. 19. Non prostitues filiam tuam.
Deut. 23. Non erit meretrix de filiabus Israël.
Deutro. 22. Adulter & adultera ambo morte mo-
riantur.
Deut. 15. Omnino indigens & mendicus non erit in-
ter uos.
Exo. 22. Dijs non detrahes, & principi populi tui
non maledices.
Leuit. 19. Vnusquisq; patrē & matrē suam timeat.
Coram cano capite consurge, honora personam
senis.

Deut.

Deut. 24. Nō negabis mercedem indigentis, & pau-
peris, sed eadem die reddes ei precium laboris sui,
ante solis occasum reddes ei, si pauper est, ut habeas
iustitiam coram domino Deo tuo.

Leuit. 9. Noli iniquum aliquid admittere in iudi-
cio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta,
& æqua sint pondera.

Leuit. 20. Nolite ambulare in legitimis gentium.

Leuit. 19. Non facies calumniam proximo tuo, nec
ui opprimes eum.

Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proxi-
mum suum.

Deut. 6. Diliges dominum Deum tuum ex toto cor-
de tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis,
& ex tota mente tua, & proximum tuum sicut te-
ipsum.

COLOPHON EVANGELII CHRIS-
ti ex Matthæi capite quinto.

Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est re-
gnum cœlorum.

Beati qui lugent, quoniã ipsi consolationẽ accipient.

Beati mites, quoniam ipsi hæreditatem accipient
terræ.

Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam
ipsi saturabuntur.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam
consequentur.

G a Beati

CATECHESIOS PVERORVM

Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt.

Beati pacifici, quoniam ij filij Dei uocabuntur.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cœlorum.

Beati estis, cum probra iecerint in uos homines et insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbū aduersus uos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Sic enim persecuti fuerūt Prophetas, qui fuerūt ante uos.

Vos estis sal terræ, Quòd si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Vos estis lux mundi. Non potest oppidum abscondi supra montem situm, neq; accendunt lucernam, & ponunt illam subter modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus, qui sunt in domo.

Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideāt uestra bona opera, glorificētq; patrem uestrum, qui est in cœlis.

Ne existimetis, quòd uenerim ad destruendam legem, aut Prophetas, imò non ueni ut destruam, sed ut compleam.

Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum et terra, iota unum aut apex nō præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint.

Quisquis igitur soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur
in reo

TOMVS TERTIVS.

in regno cœlorum.

Dico enim uobis, nisi abundauerit uestra iustitia plus quàm scribarum & pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum.

Audistis quòd dictum sit ueteribus, Non occides. Quisquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quòd quisquis irascitur fratri suo (temere) obnoxius erit iudicio.

Quicumq; uero dixerit fratri suo, racha, obnoxius erit concilio.

Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit incendio.

Itaq; si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coràm altari, & abi, prius recõcilieris fratri tuo, et tum ueniēs offer munus tuum.

Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerē cõijciaris. Amen dico tibi, nõ exhibis illinc, donec persolueris extremum quadrantem.

Audistis quòd dictum fuerit antiquis. Non cõmittes adulterium. At ego dico uobis, Quòd quicumq; aspexerit uxorem alterius, ad concupiscēdum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo.

Quòd si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit,

G 3 ERUE

CATECHESIOS PVERORVM

erue illum, & abijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam. Et si dextera tua manus obstiterit tibi, amputa eam, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam.

Dictum est autem. Quicumq; repudiauerit uxorem suam, det illi libellū diuortij. At ego dico uobis, quòd quisquis repudiauerit uxorem suam, nisi caussa stupri, efficit ut illa sit adultera, & quicumq; repudiatā duxerit, adulterium committit.

Rursum audistis, quòd dictum fuerit antiquis, Nō peierabis, sed persolues domino ea quæ iuraueris. At ego dico uobis, Ne iuretis omnino: neq; per coelum, quia thronus Dei est: neq; per terram, quia subselliū est pedum illius: neq; per Hierosolyma, quoniam ciuitas est magni regis: neq; per caput tuum iurabis, propterea quòd non potes unum pilum, album aut nigrū facere. Sed erit sermo uester, est est, non non. Porro quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur, & in iudicium cadit attestante Iacob. cap. 5.

Audistis quòd dictum fuerit, oculus pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico uobis, ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi &

li & pallium, & qui te adegerit ad miliarum unum,
abito cum illo duo.

Petenti abs te dato, & cupientem mutuum accipe
re, ne auerferis.

Audistis quòd dictum sit, Diliges proximum tu-
um, & odio habebis inimicum tuum. At ego dico uo-
bis, Diligite inimicos uestros, bene precemini deuo-
uentibus uos, benefacite ijs, qui uos odio prosequun-
tur, orate pro ijs, qui lædunt & insectantur uos, ut
sitis filij patris uestri, qui est in coelis, quia solem su-
um exoriri finit super malos & bonos, & pluuiam
mittit super iustos & iniustos. Nam si dilexeritis eos,
qui diligunt uos, quod præmium habetis? Nõne &
publicani idem faciunt? Et si cõplexi fueritis fr-
atres uestro tantum, quid eximium facitis? Nõne & pu-
blicani sic faciunt?

Eritis igitur uos perfecti, quemadmodum pater
uester, qui est in coelis, perfectus est.

EX CAPITE SEXTO.

Attendite ne elemosynam uestram præstetis
coram hominibus, quo spectemini ab illis. Alio-
qui præmium non habetis apud patrem uestrum
qui est in coelis. Itaque cum præstas elemosynam,
ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypo-
critæ faciunt in conciliabulis, & in uicis, ut glo-
rificentur ab hominibus. Amen dico uobis, habent
mercedem suam.

G 4 Ceterũ

CATECHESIOS PVERORVM

Ceterum cum tu præstabis eleemosynam, ne sciat sinistra tua quod facit dextera tua, ut sit tua eleemosyna in occulto, et pater tuus, qui uidet in occulto, ipse reddet tibi in propatulo. Et cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis, et in angulis platearum stantes orare, quo conspicui sint hominibus. Amen dico uobis, quod habet mercedem suam.

Tu uero cum oras, introito in conclaue tuam, et occluso ostio tuo, ora patrem tuum qui est in occulto, et pater tuus qui uidet in occulto, persoluet tibi in propatulo. Verum orantes ne sitis multiloqui sicut Aethnici. Putant enim fore, ut ob multiloquium suum exaudiantur. Ne igitur efficiamini similes istorum. Nouit enim pater uester quibus rebus opus sit uobis priusquam petatis ab illo.

Proinde si remiseritis hominibus errata sua, remittet et uobis pater uester cœlestis. Quod si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater remittet errata uestra.

Porro cum ieiunaueritis, ne sitis uelut hypocritæ tetrici. Obscurant enim facies suas, quo perspicuum sit hominibus ipsos ieiunare. Amen dico uobis, habet mercedam suam. Tu uero cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam laua, ne conspicuum sit hominibus te ieiunare, sed patri tuo, qui est in occulto, et pater tuus qui uidet abdito, reddet tibi in propatulo. Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi erugo et tinea corrumpunt

corrumpit, & ubi fures perfodiunt ac furantur. Sed recondite uobis thesauros in caelo, ubi neq; erugo neque tinea corrumpit, & ubi fures non perfodiunt, neque furantur. Nam ubi fuerit thesaurus uester, illic et cor uestrum.

Lucerna corporis est oculus, si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quod si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ergo si lumē, quod est in uobis, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae?

Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim hunc habebit odio, & alterum illum diliget, aut huic adhaerebit, & alterum illum negliget. Non potestis Deo seruire et Mammonae. Propterea dico uobis, ne sitis solliciti uitae uestrae, quid esuri sitis, aut bibituri, neq; corpori uestro, quibus indumentis usuri. Nonne anima pluris est, quam cibus, & corpus pluris, quam indumentum? Vertite oculos ad uolatilia caeli, quia non serunt, neq; metunt, neq; conuehunt in horrea, et pater uester caelestis alit illa. Nonne uos longe praecellitis illa? Quis autem ex uobis solcite cogitando, potest addere ad staturam suam cubitum unum? Ac de indumento quid solliciti estis? Cognoscite lilia agri quomodo crescunt? Non laborant, neq; nent. Attamen dico uobis, ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum fuisse, ut unum ex his.

Quod si gramen agri, quod hodie cum sit, cras in

G s clibae

CATECHESIOS PVERORVM

clibanum mittitur, Deus sic uestit, an non multo magis uobis id faciet, o parum fidentes? Ne sitis igitur solliciti, dicentes. Quid edemus, aut quibus operiemur? Nam omnia ista gentes exquirunt. Nouit enim pater uester coelestis, q̄ opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primū regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiumentur uobis. Ne sitis igitur solliciti in crastinum, Nam crastinus dies curam habebit sui ipsius. Sufficit sua diei afflictio.

EX MATTHAEI CAPITE

septimo.

Nolite condemnare, ne condemnemini. Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis, & qua mensura mensi fueritis, ea metientur uobis alij.

Cur autem uides festucam, quæ est in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo, non animaduertis? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine, eximam festucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo. Hypocrita, eijce prius trabem ex oculo tuo, & tum perspicies ut eximas festucam ex oculo fratris tui.

Ne detis quod sanctum est canibus, neque proieceritis margaritas uestras ante porcos, ne quando hi conculcent eas pedibus suis, & illi uersi laerent uos.

Petite, & dabitur uobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur uobis. Quisquis enim petit, accipit, & quicumq; quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

etur. An quisquàm est uestrum homo, qui si filius eius petierit panem, lapidem daturus sit illi? Aut si piscẽ petierit, num serpentem addet illi? Si uos igitur cum sitis mali, nostis dona bona dare filijs uestris, quanto magis pater uester, qui est in cælis, dabit bona, si postuletis ab ipso?

Omnia igitur quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis, Hæc enim est lex & Propheta.

Introite per arctam portam, quoniã lata est porta, & spaciota uia, quæ abducit in exitium, multiq; sunt, qui ingrediuntur per illam. Quoniam angusta est porta, & stricta uia, quæ abducit ad uitã, & pauci sunt, qui inueniunt illam.

Cauete uero uobis à Pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus ipsorum agnoscitis eos. Num qui colligunt de spinis uuam? aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit.

Putris autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neq; arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem cõijcitur. Igitur ex fructibus ipsorum agnosceatis eos.

Nõ quisquis dicit mihi, Domine domine, introibit in regnum cælorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cælis est. Multi dicent mihi in illo die,

Domine

CATECHESIOS PVERORVM

Domine domine, nōne per nomen tuum Prophet auimus, & per nomen tuū dæmonia eiecimus, & per nomen tuū multas uirtutes præstitimus? Ac tum cōfitebor illis, Nunquā noui uos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.

Omnis enim qui audit ex me sermones hos, et facit eos, adsimilabo illū uiro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit ymber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non est prostrata, fundata enim fuerat super petram.

Et omnis qui audit à me sermones hos, & non facit eos, adsimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit humber & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & impegerunt in domum illam, & deiecta est, & fuit ruina illius magna.

EX CAPITE DECIMO.

Estote prudentes ueluti serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab illis hominibus, tradent enim uos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent uos. Quin & ad principes, ac reges ducemini propter me, in testimoniū ipsis ac gentibus. At cū tradiderint uos, ne sitis solliciti quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Tradet autem frater frater

ter fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij aduersus parentes, & morte afficiēt eos, & eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meum. Verum qui sustinuerit usq; ad finem, hic saluus fiet.

Cum autem persecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam. Amen dico uobis, non perambulaueritis omnes ciuitates Israëliticas, quin iam uenerit filius hominis. Non est discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra dominum suū. Sufficit discipulo, ut sit sicut præceptor ipsius, & ut seruus sit sicut domini ipsius. Si ipsum patrē familias uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius? Ne igitur metuatis eos. Nihil enim est tectum, quod nō sit retegendum, & nihil occultum, quin futurum sit ut sciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Et ne metuatis uobis ab his qui occidūt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest & animā & corpus perdere in gehenna. Nōne duo passeruli minuto asse ueneunt? & unus ex illis nō cadet in terram sine patre uestro. Vestri uero etiā pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis, uos plaris estis, quàm multi passeruli.

Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui est in cœlis. Porro quisquis negauerit me coram hominibus, negabo & ego eū corā patre meo, q̄ est in cœlis.

Ne are

CATECHESIOS PVERORVM

Ne arbitremini, quòd uenerim admittendum pacem in terram. Non ueni ut mitterem pacem, sed gladium, Nam ueni ut dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam, & inimici hominis erunt ij, qui sunt domestici ipsius.

Qui amauerit patrem aut matrem ultra me, non est me dignus, & qui amauerit filium suum aut filiam supra me, nõ est me dignus, Et qui nõ accipit crucem suam ac sequitur me, non est me dignus.

Qui inuenerit animam suam, perditurus est eam, & qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam. Qui recipit uos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Et qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedẽ iusti accipiet. Et quicumq; ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculũ aquæ frigidæ tantũ, nomine discipuli, Amen dico uobis, non perditurus est mercedem suam.

EX CAPITE XII.

Omne peccatum & conuitium remittetur hominibus, at conuitium in spiritum, non remittetur hominibus. Et quicumq; dixerit uerbum aduersus filiũ hominis, remittetur illi. Qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in præsentis seculo, neq; in futuro.

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum.

num: aut facite arborem uitiosam, & fructū illius uitiosum, nam ē fructu arbor agnoscitur.

Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Siquidem ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo ē bono thesauro cordis, ex promit bona, & malus homo ex malo thesauro depromit mala. Sed dico uobis, quòd de quocunq; uerbo ocioso, qd' locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicij, nam ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis.

EX CAPITE XV.

Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, ceterum cor eorum procul abest à me, sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Audite & intelligite, non quod ingreditur in os, impurat hominem, sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem.

Quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum eijcitur. At ea quæ proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuistia. Hæc sunt quæ impurant hominem. Ceterum illotis manibus capere cibum, non inquinat hominem.

EX CAPITE XVI.

Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me.

Qui

CATECHESIOS PVERORVM

Qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam, rursus qui perdiderit animam suam mea causa inueniet eam.

Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Futurum est enim, ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique iuxta facta ipsius. Amen dico uobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno suo.

EX CAPITE XVII.

Amen quippe dico uobis, si habeatis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc, illic, & demigrabit, neque quicquam impossibile erit uobis.

EX CAPITE XXV.

Cum autem uenerit filius hominis in gloria sua et omnes sancti angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, alteros ab alteris, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidē à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris sibi erunt, Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi, Esuriui enim, & dedistis mihi edere. Sitiui, & dedistis mihi bibere, Hospes eram, & collegistis me, Nudus, et

dus, & operuistis me: Infirmus, et uisitastis me: In car-
 cere eram, et uenistis ad me. Tunc respondebunt ei ius-
 ti, dicentes, Domine, quando te uidimus esurientem,
 & pauimus, aut sitientem, & dedimus tibi potum?
 Quando autem te uidimus hospitem, & collegimus te?
 aut nudum, et cooperuimus te, aut quando uidimus te in-
 firmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respon-
 des rex, dicet illis. Amen dico uobis, quatenus fecistis
 uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc
 dicet & his qui à sinistris erunt, Discedite à me male-
 dicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo &
 angelis eius, Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum:
 Sitiui, & non dedistis mihi potum: Hospes eram, &
 non collegistis me: Nudus, & non operuistis me: Infir-
 mus, & in carcere eram, & non uisitastis me. Tunc
 respondebunt ei & ipsi, dicentes, Domine, quando te
 uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut
 nudum, aut infirmum, aut in carcere, & nõ ministra-
 uimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens. Amen dico
 uobis, Quatenus non fecistis uni de minimis his, nec
 mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti
 uero in uitam æternam.

EX EPISTOLA AD ROMA-
 nos capite duodecimo.

Obsecro igitur uos fratres, per miserationes Dei,
 ut præbeatis corpora uestra, hostiam uiuentem, san-
 ctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum,

H Et ne

CATECHESIOS PVERORVM

Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas Dei, quod bonum est, acceptumq; & perfectum.

Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, cui libet uersanti inter uos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quàm oportet de se sentire. Sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensuram fidei.

Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, membra uero omnia non eundem habent actum, sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra, sed tamen habentes dona, iuxta gratiam datam nobis, uaria, siue Prophetiam iuxta portionem fidei, siue ministerium in administratione, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione, qui impertit in simplicitate, qui præest in diligentia, qui miseretur in hilaritate, dilectio sit non simulata, sitis odio prosequentes quod malum est, adherentes ei, quod bonum est, per fraternam charitatem, ad mutuo uos diligendos propensi, honore alius alium præcedentes, studio non pigri, spiritu feruentes, temporarij seruientes, spe gaudentes, in afflictione patientes præcationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Bene loquamini de his, qui uos insectantur, bene loquamini inquam, in ne male
prece

precemini. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, eodem animo alij in alios affecti, non arroganter de uobis ipsis sentientes, sed humilibus uos accommodantes. Ne sitis arrogantes apud uos metipsos, neq; cuiquàm malum pro malo reddatis. Provide parantes honesta in conspectu omnium hominum, si fieri potest, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus in pace uiuentes, non uos metipsos ulciscentes dilecti, quin potius date locum iræ, Scriptum est enim, Mihi ulcio, ego rependam, dicit Dominus. Si igitur esurit inimicus tuus, pasce illum, si sitit, da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coaceruabis in caput illius. Ne uincaris à malo, imò uince bono malum.

CAPVT XIII.

Omnis anima potestatibus excellentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo, quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibi ipsis iudicium accipient. Nam principes non terrori sunt bene agentibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est, facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Quòd si feceris id quod malum est, time. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram, ei qui, quod malum est, fecerit. Quà propter oportet esse subditos, nō solū propter iram,

H 2 uerum

CATECHESIOS PVERORVM

uerum etiam propter conscientiam. Propter hoc enim & uectigalia soluitis. Si quidē ministri Dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus, quod debetur, cui tributū, tributū, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorē, cui honorē, honorē. Ne mini quicquā debeat, nisi hoc ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Si quidem illa. Non adulteraberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud præceptum in hoc sermone summam cōprehenditur, Nempe diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Cōsumatio itaq; legis, est Dilectio.

DECEM PRAECEPTA.

PRIMUM PRAECEPTVM.

Exod. 20. Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxite de terra Aegypti, & de domo seruitutis.

NON HABEBIS DEOS ALIENOS coram me.

Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinē quæ est in cœlo de super, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.

Non adorabis ea, neq; coles. Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorū qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia, hijs qui

hijs qui diligunt me & custodiunt præcepta mea.

VIS LEGIS.

Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
& ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis.

Deus unus est. Deut. 4.

Qui solus firmavit orbem terrarum, & omnia
quæ in eis sunt. Dij alij non sunt Dij.

Non igitur illis litandum, deferendū, supplicandū.
IMPINGVNT IN HANC LEGEM.

Qui Deum ex toto corde non amant.

Qui ab auxilijs & intercessionibus sanctorum
pendent.

Qui extra fidem proprijs operibus quæerunt sa-
lutem.

Qui diuitias, gloriam, huius mundi pompam, uos-
luptatem, & quicquid est harum uanitatum, maioris
faciunt quàm Deum.

Qui pro uero Deo Idolum sapientiæ suæ colunt,
qui sapientes sunt in oculis suis, ut à Deo abscondant
consilia.

Qui cereis, & lampadibus succensis deferunt
Idolis. Item qui in templis eadem statuunt, & ado-
rant ea.

Qui liberum arbitrium iactant.

Omnes sortilegi, diuini, malefici, incantatores, au-
gures, aruspices, astrologi, et qui naturæ maiora tri-
buunt, quàm Deo.

CATECHESIOS PVERORVM

SECVNDVM PRAECEPTVM.

Non assumes nomen Dei tui in uanum, Nec enim habebit in fontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.

Blasphemant nomen Dei, qui temere iurāt, et pro quacunq; re leuicula Deum in testem adhibent.

Qui diuinas scripturas ludibrio habent.

Qui totam passionem Christi, & sanctorum nomina ore suo pollutissimo prophanant.

TERTIVM PRAECEPTVM.

Memento diei Sabbati ut sanctifices eum. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die sabbatum domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas. Sex enim diebus fecit Deus caelum & terram & mare, & omnia quae in eis sunt, & requieuit die septimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum.

Tunc autem facimus hoc praecipuum, cum non solum die Dominico temperamus ab opere manuali, uerum multo magis ab operibus tenebrarum, quietiq; & attentissimi sumus, quid loquatur dominus Deus noster nobis.

Estq; planè fidelibus hoc Sabbatum magis spirituale quàm corporale, quod multis in Euangelio probat Christus.

NON

Non sanctificant hoc Sabbatum, qui uanitatibus, choreis, ebrietatibus, comessationibus student hoc die, atque tunc præcepto satisfacisse se putant, si ab opere tantum externo cessauerint.

Q. VARTVM PRAECEPTVM.

Honora patrem tuū & matrem tuam, ut sis longæ uis super terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi.

Duplex honor parentibus debetur. Externus, qui est in cerimonijs, & exteriori cultu, quo uerbis benignis, mansuetis, & opere illis deferimus. Internus quo intus eos complectimur in corde, atque ex animo diligimus. Vtrumque cultum poscit à nobis lex. Secus olim Pharisei docuerunt. Matth. 15. Et hodie nostri papistæ, propter traditiones suas Monasticas, irritam fecerunt hanc Legem.

Idem de Magistratibus hic præcipitur, præcepto ribus, tutoribus & dominis, nisi contra Deum planè præceperint, parentibus maxime subueniendum esse in necessitate.

Consule Pandect. nostras lib. 5. tit. de obed. par.

Q. VINTVM PRAECEPTVM.

NON OCCIDES:

Maximum flagitium est effundere sanguinem humanam Genesis. 9. Vnde nemini licet occidere præter quàm magistratui, cuius interest fontes plectere. Romanorum. 13.

CATECHESIOS PVERORVM

Christus interpretatur Matthæi. 5. Audisti quod dictum est antiquis. Non occides, at ego dico uobis quis quis irascitur fratri suo (temere) obnoxius erit iudicio.

Occidunt etiam susurriones, detractores, & qui alicuius bonam famam minuunt.

SEPTIMUM PRAECEPTVM.

NON FVRTVM FACIES.

Scelus est aliorum malo ditari, uel circumuenire in negotio fratrem.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

Non loqueris contra proximum tuum testimonium falsitatis.

Non mentieris.

Non stabis contra sanguinem innocentem.

Non falso deferes.

NONVM & decimum praecipitum.

Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quae illius sunt.

Damnat auaritiam, & cupiditatem quae est radix malorum, ut inquit Apostolus.

ORATIONIS DOMINICAE

Paraphrasis.

PATER.

Patrem atq; pellamus Deum, quam libertatem Christus nobis parauit, Rom. 8.

NON

Non accepimus spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepimus spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba pater.

NOSTER.

Nam sat erat patrem esse, nisi etiam noster esset, Noster igitur est, quando credimus illi, diligimus et speramus in illum, Esaiæ. 49. Si mater potest obliuisci filij sui etc.

Noster est, qui filio suo unigenito non pepercit, sed tradidit illum pro nobis. Rom. 8. Ioan. 3.

Noster non est, quoniam increduli sumus.

QVI ES in cœlis.

Cœlum tribuitur Deo tanquàm nobilissimus locus totius orbis, cum alioqui tamen replet omnia, et nõ potest ullo loco concludi. Esaiæ. 66. Cœlum mihi sedes est etc. Psalm. 139. Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero ad infernum ades.

SANCTIFICETVR nomen tuum.

Sanctificatur nomen Dei in nobis, dum illi omnia tribuimus, illum magnificamus, et benedicimus, dum illius gloriam in omnibus rebus quærimus quæ agimus.

Polluitur in nobis nomen Dei, dum nostram gloriam quærimus, et putamus nos aliquid esse, cum nihil sumus, dũ stulte inflamur in donis et superbimus.

ADVENIAT regnum tuum.

Christus rex est, et nos regnum illius. Regnat au

H s tem in

CATECHESIOS PVERORVM

tem in nobis, dum per gratiam suam & fidem operatur bona opera in nobis, dum largissime nos perfundit uerbo suo.

FIAT uoluntas tua, sicut in caelo &c.

Voluntas nostra pessima est Genesis. 6. Neq; aliud nouit quàm peccare. Deus nihil potest uelle, quàm quod optimū est. Non igitur nostra uoluntas fiat optamus, sed Dei.

PANEM nostrum quottidianum da &c.

Est panis corporalis, sunt necessaria uitæ. Est panis spiritualis uerbi Dei, & fidei. Vtroq; nobis opus est, & tanto magis altero, quanto magis anima plus est quàm corpus.

ET dimitte nobis debita nostra, sicut &c.

Sola misericordia Dei donantur nobis peccata nostra, æquū igitur est, ut ille donat nobis gratis, ita nos quoq; uicissim errata sua fratribus remittamus.

ET ne nos inducas in tentationem.

Vt interdū tentemur, expedit nobis. Nam et Christus tentatus est, sed ne corruamur in tentatione, & ne tentemur ultra id quàm ferre possimus, sitq; cū tē tatione etiā prouentus, id à Deo postulandum est.

SED libera nos à malo.

Ab illo malo, qui circuit tanquàm leo rugiēs, quaerens quem deuoret.

Ab incredulitate, Nam incredulitas omnium uere pessimum est malorum.

Quis

QVIA tuum est regnum & potentia in se-
cula seculorum, Amen.

HISTORIAE QVAEDAM VETERIS
testamenti, quæ crebro debet pueris recitari, ex qui-
bus agnoscant magnalia Dei, & ab infantia discant
timere Deum.

Historia de creatione Mundi. Gen. 1.

De creatione hominis. Genesis tertio, & de origi-
ne peccati.

De orbe perduto per diluuium. Gen. 6.

De destructione linguarum in Sennar.

De exilio Abrahæ, & peregrinatione eius.

De Isaac illi nato, & obedientia eius.

De Ioseph, in quo discant castitatē & prudentiã.

De Mose Exod. 2. in quo mansuetudinē & iustitiã

De plagis Aegypti, propter cõtemptũ uerb. Dei.

De exitu filiorum Israël de Aegypto, & Pharao-
nis perditione. Exod. 14. 15.

De missione Manæ cælo, & murmure in deserto.

Exod. 16. & plagis è cælo missis in incredulos.

De perditione Chore, ob factionem eius. Num. 16.

De percussis à serpentibus. Num. 21.

Historia Bileam Numeri. 22.

De excidio Hiericho. Iosue. 6.

De statione solis in medio cælo & die prolonga-
to. Iosue. 10.

De strage Madianitarum per Gedconē. Iudic. 7.

Histo

CATECHESIOS PVERORVM

Historia David & Goliad Philistæi .1. Reg. 17.

De Helia. 3. Reg. 17. 18.

De Naaman Syro. 4. Regum. 3.

De castris Sennecherib cæsis. 4. Reg. 19.

De Iosophat, qui sola oratione prostravit maximum exercitum filiorum Ammon. 2. Para 20.

Historia Tobie.

Historia Iudith.

Historia Hester.

Historia trium puerorum.

Historia Susannæ, & Beli.

Historia de Balthasare in Daniele, & Nabuchodonosor.

Historia Eleazari, & constantia eius in fide. 2. Machabeorum. 6.

Historia de matre & septem filijs.

Historia Samuelis.

Historia Sodomorum.

Historia Mathathie. 1. Machabeorum. 2.

De constantia Apostolorum. Acto. 4.

REMEDIA ADVER-

sus omnia vitia ex Erasmi

Enchiridio.

Quod callidi solēt Imperatores facere, ut in tranquillis etiam rebus, tamen excubias etiam agant. Ita & tu quoq; animū uigilantē, atq; circūspectū ad futurum

rum

rum hostis insultum habeas, oportet. Nunquam enim ille non circuit, quæres quem deuoret, quo paratior esse queas, atq; irruentem statim fortiter retundas exhibilesq;.

Depellitur autem tentator maxime his modis, si uel uehementer auerferis animo, statimq; in suggerentem, uelut expuas, aut ardentem orem, aut ad sanctam aliquam occupationem toto pectore te conferas. Aut si uerbis è sacris literis petitis, tentatori respondeas. Propter quod expedit in parato habere semper sententias quasdam sacras, quæ ad hoc bellum dirimendum potissimum conducere uidentur.

Vincens, uide ne quid tuis uiribus tribuas, aut in superbiam efferare. Nihil enim ex nobis ipsis possumus, ne cogitare quidem aliquid.

Semper autem hoc animo atq; hac spe dimices, quasi ea pugna sit tibi postrema futura, si uictor discesseris.

Magnopere cauendum, ne quod uitium leue contempnas, nullus enim hostis uicit sæpius, quam qui fuit contemptus.

Noli molestiam pugnae conferre cum uoluptate, sed presentem amaritudinem pugnae, compone cum futura amaritudine peccati, quæ uictum consequitur, et mox uidebis quam iniqua sit collatio.

Si quando te contigerit lætale uulnus accipere, caue ne ptinus abiecto clypeo relictis armis hosti te dedas, sed

CATECHESIOS PVERORVM

das, sed quemadmodum strenui faciunt milites, quæ ignominie acceptæ pudore tracti, fortius pugnant quam ante, bellumq; redintegrant.

Vnicum, multoq; omnium efficacissimum remedium est, aduersus omnes tentationes, Crux Christi, ut quicquid acciderit, cogites Christum similia, & maiora passum esse.

Plurimum quoq; confert cogitare, quam foeda, quam execranda, & exitialis res sit peccatum. Contra quanta hominis dignitas, quomodo imago Dei, templum Dei, heres regni, redemptus sanguine Christi, propter quam certa sunt omnia. Conciuis angelorum. Item cogitare alia communia beneficia Dei. Maleficia item diaboli, quibus infestat nos. Item fructus peccati, & uirtutis. Fructus enim peccati, mors, luctus, poenitentia. Fructus uirtutis, lætitia, uita æterna, conscientia bona.

Ad hæc cogita, quam fugax est hæc uita, quã præsentanea mors, quam incerta uita, & quod nemo uel ad momentum de uita sua securus est.

Et quod est omnium miserrimum, formidanda est impœnitentia, in qua si inopinati deprehendimur, de salute nostra actum est.

DE REMEDIJS contra omnia uitia capitalia.

DE remedijs contra libidinem.

Si quando foeda libido extimulat animum, his armis occurre.

Inpria

In primis cogita quàm immunda, quàm spurca, quàm quòuis homine indigna sit uoluptas, quæ nos porcis, suibus, & pæcudibus equat.

Succurrat adhæc, quàm plus aloës, quàm mellis habet uoluptas.

E contra quàm generosa res est anima, quàm sacra res corpus hominis.

Cogita incommoda quæ oriuntur, quæ sunt, infamia, iactura patrimonij, læsio uirium corporalium, pluralitas morborum, dehonestatio iuuentutis, acceleratio senectæ, ingenij diminutio, auocatio à literis, tædium, labor.

Aliorum exemplis temet reprime. Exempla foedi lapsus habemus in Solomone, Dauid, Simpson, Bethaba & c. Exemplum continentiae in Hieremia, Iohanne Baptista, puero Iesu.

Cogita quàm honesta, quàm florida, quàm amœna res sit corporis & animæ puritas.

Præpone tibi ante oculos, quàm indecorum, quàm insanum est amare, pallefcere, macerari, lachrymari, blandiri, supplicem fieri.

Præbere ulro se ridendum, pati regnum foemineum, concinere ad fores nocturnas.

Cogita, qualia & quanta sint, quæ proueniunt ex insano amore, uidelicet inobedientia parentũ, et præceptorum, rapina, periurium, perpotatio, latrocinium, maleficcium, blasphemia.

Cogita

CATECHESIOS PVERORVM

Cogita quàm breuis est hæc uita, quàm inopinata mors, quàm parum secura omnia.

Cogita qualibus moribus aliquãdo absumpti sunt, quàm turpiter desperierunt, quos tu aliquando nouisti, qui scortis dediti fuerunt.

Cogita diem extremum, ignes inferni, supplicium perpetuum, diram sententiam iudicis, quæ manet impuros, pro una parua uoluptate.

Cogita quantos cruciatus pro te Christus pertulit, qui nullam unquàm expertus est uoluptatem.

Erubescere etiam coram Deo, qui omnia uidet, nequicquàm non est nudum & apertum oculis eius.

Time quæ ex impudicitia ueniunt, fructus turpissimi, qui sunt, desperatio, impudicitia, inuerecundia, incorrectio.

Cogita quàm non deceat statum tuum hæc turpitudine. Cogita quòd Christianus es, nobilis, puer adolescens, probis parentibus.

Fuge occasionem, esto temperans in uictu, tempera à uoluptatibus etiam permissis, uiue cum castis, et integris, fuge solitudinem, fuge turpia, & spurta colloquia. Literis intende, præsertim sacris, frequenter oratione ingruente.

ADVERSVS IRRITAMENTA auaritiæ.

Si senseris te pronum ad Auaritiam, cogita quòd non ad hoc natus es, ut aurũ aut aliquid huiuscemodi domi-

dominaretur tibi, sed ut tu dominus omnium esses.

Cogita quàm turpe & seruire terræ imperium sustinere. Nam aurum & argentum quid est, nisi terra rubra & alba?

Cogita de uolatilibus agri, & lilijs, quæ non laborant neque nent, & tamen pater cœlestis uestit, & nutrit ea.

Cogita quoniam frugalitatem, & rerum omnium circumscriptionem poscit à nobis Christus.

Non horrida res est aqua & polenta, aut fructus pãis. Summa uoluptas est, capere ex his uoluptatem, quæ eripere nulla fortunæ iniquitas potest.

Frugalitatem autem & paupertatem, sic leuiter feres si cogitaueris nihil te intulisse in hunc mundum, neque etiam afferre posse, & quòd res est maxime honesta, paupertas læta, cum qua cui conuenit bene, diuitibus ditior est.

Pauper es? Nihil interim Christo minus places. Non adimit uirtutem paupertas, quin ex hoc maximam ansam philosophandi habes. Omnes infantes terra nudos excipit. Non igitur pudeat te sic uiuere, & mori quemadmodum natus es.

Memento quod dicit Christus, Facilius esse transire camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.

Item, illius quod est apud D. Hieronymum. Omnem diuitem, aut iniquum esse, aut hæredem iniqui.

CATECHESIOS PVERORVM

Ingens opulencia nunquàm sine peccato, uel paratur uel seruatur.

Cogita quibus uitijs subiacet quisquis auarus, Virtutem odit, literas perditum uellet, odit honestatem, solum aurum sitit & suspicit, Deum contemnit, seruit idololatriæ, neque bibit ad facietatem unquam. Omnia timet: quantis laboribus, & anxietatibus, & molestijs obnoxius est. Quàm sordent illi omnes uoluptates aliæ?

Conducet & hoc, si crebro in mentem reuoces quod in Euangelio de duobus diuitibus retulit Christus, quorum alter in infernum detrusus est, alter in tempesta morte, lecto à Dæmonibus raptus est. Et si creber fueris in ruminandis gestis sanctorum, Apostolorum, Christi, Virginis, & omnium quos nos uelut religionis nostræ primates suspicimus.

CONTRA AMBICIONEM

& superbiam.

Cogita nullum esse honorem, nisi qui progreditur à Christo. Neminem esse commendatum, nisi quem Deus commendat. Reliquos honores omnes aut esse fucum, aut conferri indignis, plerumque ab indignis procedere, q̄ metu magis quàm charitate honorāt.

Christi capitis exemplum, semper animo inhereat tuo. Quid illo secundum seculum ignobilius, despectius, inhonoratius? Quàm fugit honores oblatos qui quouis honore maior erat? Quantum derisit a sello sedens.

dens? Quàm derisit spineam coronam portans, Quàm non gloriosam mortem elegit. Tua gloria sit in cruce Christi, in qua & salus est tua. Quorsum tibi humani honores, si te reijciat despiciatque Deus, excrecentur angeli?

Non intumesces animo, si cognoueris te ipsum, id est, quicquid in te magnum, laudatum aut eximium est, id uni Deo acceptum feras. Contrà quicquid humile, sordidum, dedecus, id totum tibi tribueris.

Cogita in quantis sordibus conceptus es, in quantis natus, quàm inops, quàm brutus prorepturus in lucem. Corpusculum quot erumnis, quot infirmitibus obnoxium, etiam tandem in tabem soluendum.

Confer in unum quid in uniuersum omnes poëtae, Philosophi, & Prophetæ, sancti pariter & prophani de homine sentiant, hoc nempe, quòd est puluis & umbra, uapor, terra, cinis, lutum, bulla, stercus, uermis, mortalis, putridus.

Conducent & illa, si te componas cum prestantioribus. Places tibi de forma corporis, confer te cum ijs, qui te forma præcedunt. Christas erigit tibi doctrina, ad eos refer oculos, ad quos tu nihil didicisse uideris.

In summa, Duo prohibeant à superbia. Si consydes quid ipse sis, si putredo in exortu, bulla in omni uita, esca uermium in morte, & quid Christus factus sit pro te.

CATECHESIOS PVERORVM
ADVERSUS IRAM ET VIN
dictæ cupiditatem.

Cum te uehemens dolor ad ultionem extimulat,
memineris nihil esse tam fœmineum quàm irasci, ni=
hil tam imbecillis proiectiq; animi, quàm uindicta læ
tari.

Alienam stultitiam longe generosius & magnifi=
centius est contemnere, quàm imitari, & quo turpi=
or est qui læsit, hoc magis caue illi similis fieri.

Si contempseris contumeliam, intelligent omnes
indigno factum. Si commoueare, iam lædentis caus=
sam feceris meliorem.

Tolerantia uincitur seueritas, non uindicta.

Memento quòd nemo Christianus læditur, quàm
à se ipso, nulli nocet iniuria, nisi suo authori.

Cogita, quæ, quanta, & quoties tu quoque pecca
ueris in Deum, quàm multis nominibus sis illi obnox=
ius, & quod sic necesse est donari fratribus, si uolu=
mus nobis Deum donare peccata nostra.

Cogita etiam quàm indecorum est homini ab Ira
uinci, cum sic flammantes ardent oculi, torquetur os
spumant labia, tremunt membra, fremit uox, non cõ
stant sibi gestus. Nam inter hæc quis existemet te ho=
minem esse?

Adiuuant & hæc, si commodè collectis rhetorum
circumstantijs, pariter & tuum incommodum exte=
nues, librans æquo animo. Exemplum, læsit imperi=
tus

tus

tus, feram, imprudens, probe potus, æquum est ergo ignoscere. Læsit grauitèr, sed est frater, amicus, pater, uxor, condonandum aliquid maioritati. Læsit, sed sæpe etiam profuit, uel cõtra etiam potest prodesse, non decet benefactorum propter paruam iniuriam obliuisci.

TOMVS QVARTVS.

Q VOMODO MANE

surgendum.

ATtenuant, ut inquit Ouidius, uigilate corpore noctes.

Quare in primis habenda cura somni, ne aut plus quàm oportet, tenuior sit somnus, aut quàm expedit lethæus.

Septem uel octo horis dormisse, etiam puero satis est.

Surgens itaque mane, primum ab ipso lecto in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, diei auspiciaberis initium, & Dominica oratione commendabis te Christo.

Gratias ages, quòd eam noctem uoluit prosperam tibi.

Deinde precaberis, ut diem itidem illum totum tibi fortunet bene, ne impingas in peccatum.

Mox ueniens in conspectum, fœlicem diem precaberis parentibus.

Inde capillitum comabis, manus & uultum laude



CATECHESIOS PVERORVM

bis, ut quàm primum recipias ad ludum te.

Ante ingressum, spiritum suum, ut tibi largiatur Christus, orabis, quia citra illius opem frustraneum est quod tentatur.

Interim tamen sic stude, quasi nihil sit ille auxilij laturus, nisi grauitè laboranti.

Diuis deferre salutem, aut inuocare, ut scientiam impetrent, Christiano puero piaculum est.

Vnus est enim Deus, qui uult adorari & coli solus, qui solus ministrat omnibus omnia.

Oratio ante ingressum ludi dicenda.

DEVS patrum nostrorum, & Domine misericordiae, qui fecisti omnia uerba tuo, & sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae à te facta est, ut disponat orbem terrarum in aequitate & iustitia, & in directionis cordis iudicium iudicet. Da mihi sedium tuarum astricticem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Quoniam seruus tuus ego sum, filius ancillae tuae, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij tui & legum. Et si quis erit consumatus inter filios hominum, si fugerit ab illo sapientia tua, in nihilum computabitur. Mitte illam de caelis factis tuis, & à sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me
in ope.

in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, Amen. Kyrie eleyton. Christe eleyson. Kyrie eleyson, Pater noster.

Legem pone mihi Domine, uiam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.

Viam iustificationum tuarum instrue me, Et exercebor in mirabilibus tuis.

Viam iniquitatis amoue à me, Et miserere mei.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, Et custodiam illam in toto corde meo.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auertitiam.

Auerte oculos meos ne uideant uanitatem, in uia tua uiuifica me.

Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te ueniat.

ORATIO.

Actiones meas quaeso Domine, adspirando praueui, & adiuuando prosequere, ut cuncta opera mea à te semper incipiant, & per te coepta finiuntur. Illū mihi quaeso Domine ignem immitte, quem Dominus Iesus misit in terram, & uoluit uehementer accendi. Domine Deus, & pater omnipotens,

CATECHESIOS PVERORVM

Et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu aduersariorum meorum. Extollentiam oculorum ne dederis mihi, Et omne desyderium paruum auerte à me. Aufer à me uentris concupiscentias, Et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, Amen. Duo rogauit te à tequàm moriar, Vanitatem Et uerba mendatij longe fac à me, diuitias Et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum uictui meo tribue necessaria, ne forte satiatus, illiciar ad negandum, et dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, Et periurem nomen Dei mei, Amen.

DE DILIGENTIA ADHI

benda in Ludo.

Cum ueneris in phrontisterion, libenter auscultata. Et quod agis, toto pectore agito.

Responde uerecunde.

Praua non mordicus confuta, sed uerecunde.

Ante omnia caue, ne merito uapules.

Ne quid dicto facto uel præceptorem offendas, uel sodales tuos.

Disputantem contra te, magis doce quàm uince.

Lectioe assidua, pectus tuum Bibliothecam fac

Ab infantia disce sacras literas. (Christi-

Pro lectioe quotidiana, pensum fixum habeto.

Neque ante somno indulgeas, quàm præclaris aliquot sententijs, pectoris calathum oppleueris.

Interdum si quid de penso lectiois omisum, mul-

Etane

Etam tibi iniungito.

Disce certis quibusdam ingenijs assuescere et
inniti, quæ exprimas.

Probatiores autem legito semper.

Nō abscedat dies in qua non aliquid adijtias, ut me
lior fias.

Nam eloquentiæ tantum studere, et eruditioni ut
doctior fias, non melior, diabolicum est.

Prodest eloquentia, si uirtus fuerit magistra.

DE REDITV EX LVDO.

Dimissus à ludo domum, propera rursus, nec in
platea moram feceris.

Domi si quid est obsequij præstandum parentibus,
diligenter obi.

Quod si uacat tecum repetere, quod prælectum
est in schola, repete.

Nihil enim in uita preciosus tempore.

Cogita quod irrecuperabile est, et perit, quod
transigitur.

Vbi hora ingruerit prandij, mensam odornato.

DE APPARATV MENSAE.

Mensam in tempore adornato. Sed ante appara-
tum pocula diligenter mundato.

Mensæ primum superponitur mappa.

Inde circulus æreus. Proxime Salina.

Post hæc orbes, Ad postremum panis.

De poculorum appositione patriam imitare.

CATECHESIOS PVERORVM.

Nam hic uariant Regiones.

CONSECRATIO MENSÆ.

Benedictus Deus qui me pascis à iuuentute mea,
qui cibum præbes omni carni, reple lætitia &
gaudio corda nostra, ut affatim quod satis est habentes,
abundemus in omne opus bonum in Christo Iesu
Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium,
cum sancto spiritu in omne æuum, Amen.

ALIA consecratio breuis.

Quicquid appositum est, & apponetur, fœlix ac
sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit uniuersa,
Amen.

Alia.

Benedicite Deus, omne quod appositum est, & apponetur,
per uerbum Dei sanctificetur, in nomine patris & filij,
& sancti spiritus, Amen.

Alia.

Christe Deus, benedic cibum & potum seruatorum
tuorum, quoniam sanctus es iugiter nunc & semper,
& in secula seculorum, amen.

Græce.

X Ευλογία τῆς τραπέζης πρὸ τῆς γέυσεσθα.
Πισὲ δ θεός, ἐυλόγησον τὴν βρωσιν καὶ τὴν πῖσιν τῶν
δούλων σου, ὅτι ἅγιός εἰ πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ ἐν τοῖς αἰῶ
νας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

Alia

Alia. Psal. 145.

OCuli omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione.

Oratio Dominica.

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: Veniat regnum tuum: Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem. Sed libera nos à malo: quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum Amen.

DE REMOTIONE MENSÆ.

Eodem autem modo quo apparatus, ita & remouetur mensa. Orbes colligentur primum.

Post hæc salsamenta & sal.

Inde caseus, uel quicquid aliud est *πικυρόν*, id est, secundarum mensarum.

Ad ultimum unà cum pane remouetur & mappa.

HYMNVS ET GRATIARVM

actio post sumptum cibum.

Benedictus Deus qui me pascis à iuuentute mea, qui cibum præbes omni carni, reple lætitia & gaudio corda nostra, ut affatim quod satis est habentes, abunde in omne opus bonum in Christo Iesu Domino nostro.

Cum

CATECHESIOS PVERORVM

Cum quo tibi gloria, honor, & imperium, cum sancto spiritu in omne æuum Amen. Pater noster.

Gloria tibi Domine, gloria tibi sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio & letitia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudeamus, quando reddes unicuique secundum opera sua, Amen.

Alia.

Gratias agimus tibi pater cœlestis qui tua ineffabili potentia cōdidisti omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta pascis ac uegetas. Largire filijs tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo, nectar illud immortalitatis, quod promissisti, ac præparasti uere diligentibus te, per Iesum Christum, Amen.

Alia.

Benedictus Deus, qui miseraris & alis nos ex largas donis tuis, idque ex gratia & benignitate tua iugiter, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Græce.

Εὐλογητὸς ὁ θεὸς, ὁ ἐλεῶν καὶ τρέφον ἡμᾶς ἐκ τῶν ἀνιτῶν πλουσίῳ δωρῶν, τῆ αὐτοῦ χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ ἐν τοῖς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν.

Alia.

Gratias agimus tibi omnipotens Deus pro uniuersis beneficijs tuis, qui uiuis & regnas in secula
cula

culaseculorum, Amen.

Græce.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΟΥΜΙΝ ΣΟΙ ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΩΡ ΘΕΙ ὑΠΕΡ ΠΑΝΤΩΝ ΤΩΝ ἸΝΟ
 ΕΡΓΕΣΙΩΝ ΣΟΥ, ΟΙΣ ἩΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΥΕΙΣ ἸΣ ΤΟΥΣ ΑἰΩΝΑΣ ΤΩΝ
 ΑἰΩΝΩΝ, Αμήν.

DE GESTIBVS IN MINI-
 sterio mensæ.

Erectus, & compositis pedibus sta, sollicite ani-
 maduertens ne desit quid. Et cum infundendum, siue
 quid porrigendum, apponendum, aut tollendum est,
 ciuiliter id feceris.

Amandatus aliquò, reditum matura.

Ante & post epulas Deo benedicas.

Nam & Dominus Iesus ante panis fractionem gra-
 tias egit, & à cœna surrexit hymno dicto.

Astans non turbabis, uel interturbabis aliorum
 sermonem, sed interrogatus breuiter respondeto.

Cantharos & uasa ne per obliuionem confundas,
 ut alterum fundas pro altero, si uaria sunt uina.

Salis ne obliuiscitor.

Scissum uel confractum, mensæ ne apponito.

Internoctu sub cœnam aduigilato attente pro-
 emungendis lucernis, & ne quid fœdi pedoris in na-
 res redoleat conuiuantium.

Emungens ne extinguito.

Sed ne asuescas etiam, quicquid de mensa remo-
 tum est, uel reconditum domi habetur, abligurire.

Actis

CATECHESIOS PVERORVM

Actis gratijs, & sublatis omnibus, si quid uacat,
lusu quoquam honesto, animum laxa cum sodalibus,
donec hora reuocat in ludum à lusu.

DE MORIBVS OBSERVANDIS in conuiuio.

Si autem contingat, ut ipse quoque mensæ accum-
bas, hæc obseruabis.

In primis ungues præscisos habeto.

Manus lauato. Erectus accumbito.

Hospiti collocanti acquieueris.

Ebrietatem fuge. Sobrius esto.

Sic præbebis hilarem te, ut semper memineris
quid deceat ætatem tuam.

Postremus omnium admoueto manum patinæ.

Si quid datur lautius, recusato modeste.

Si instabitur, accipe, & gratias age.

Mox decerpta portiuncula, quod reliquum est il-
li reddito, aut alicui proxime accumbenti.

Alterius tamen uxori, marito assidente, nihil red-
dideris.

Similiter principi aut magnati nihil reddideris.

Parenti, amico, cognato licet frangere, quæ opti-
ma uidentur.

Si quid lautius ministratur, ut e par piscium, et ali-
a quædam, partius gustaueris, reliquum distribuas.

Si quis præbibet tibi, hilariter illi bene precato.

Sed ipse bibito modicè.

Si non

Si non sitis, tamen admoueto cyathum labijs.

Arride loquentibus.

Ipse ne quid loquere, nisi rogatus.

Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone
uultum quasi non intelligas.

Ne cui de mensa obtrectato.

Ne cui temet antepontio.

Ne tua iactato. Ne aliena despicio.

Esto comis erga tenuis fortunæ sodales.

Deferto neminem, Ne sis lingua futili.

Ita fiet, ut sine inuidia laudem inuenias & amicos
pares.

Si uideris conuiuium esse prolixus, precatus ueni-
am, ac salutatis conuiuis sudducito te à mensa.

Panem pectore ne proscideris.

Digitulos proscindens cultro ne apposueris.

Quæ ante & iuxta te posita sunt, edito.

Decerpturus ex catino quippiam, summo cultro
comprehendito.

Ne ut sus effundas te supra cibum.

Ne confundas uel turbaueris digitis quæ posita
sunt in catino.

Oua manducaturus, panem conscindito frustilla
tim prius.

Verum ne quid prætersuat curato.

Mature edas ouum.

Testas non confractas, in catinum reijcito.

Inter

CATECHESIOS PVERORVM

Inter edendum ouum non potabis,

Commeſturus, thoracem ne commacules.

Piper quoque edens, digitos ne prælinge.

Suprema labia, aut naſum manica ne emunge inter
epulandum.

Naſum non abſtergas, niſi ſtropheolo, idque ciuile
liter & modeſte.

Mucum digito non excalpito.

Salino digitos ne indas, neque ſaſamentis & pipe
ratis omnibus.

Buccellas ne nimis denſas ſumito, uel amplas, ſed
ſingulas conſcindito.

Ex ore nihil extraxeris in orbem.

Caput inter epulas ne ſcalpito.

Omnis cachinnus effuſus in conuiuio turpis eſt.

Potaturus duobus digitulis labra ſuprema abſter
gito.

Non appareat ſupernatans in poculo tuo ſagimen
aut pinguedo.

Sed neque cibum habens in ore, & nec dum uora=
to potabis.

Simul & mandere, & loqui ruſticum eſt.

Screare ſimiliter, aut oſcitare, aut expuere cre=
brius, ſimiliter inciuile habetur.

Agreſte & æthnicum eſt, in ſupremo cubito re=
-

Panem tinctum uino edere ex po=
culo in coetu hominum, ridiculum eſt. (cumbere.

Non

Non recumbes in dorsum more rusticorum.

Cocleari quantum satis est haurito & sorbeto.

Inter sorbendum nihil distilles, neq; uno hausto sorpseris.

Donec manderis & glutueris, ne sorbeas iterū.

Caninum est immensos bolos uorare, & ossa rodere. In ossibus si quid pulpamēti hæret, modeste cultro proscindito.

Alij uero conuiuē quid præcerpant, uel appositum habeant, ne temere circum spectaueris.

Quod semel dentibus demorsum ac rosum, parop sidi ne inferas.

Italica, & Galliensis ciuilitas est, sed apud germanos turpis, ossium & eduliorum quisquiliis submensam deijcere.

Indecēs quoq; unguibus, lingua, aut cultro repurgare dentes, sed agendum id est, extra conuiuium.

DE HIS QVAE POST prandium.

Compositis & remotis omnibus, atq; gratijs actis, si quid per tempus uacat, lusu quopiam honesto Consula exemplar cum sodalibus animū, donec hora reuocat à lusu, in ludum.

Ad lectionem adsis rursus in tempore, totus tiris hoc ageus, quod postulat locus.

DE LECTIONE PRIVATA.

Cibus sit temperatus, ac tempestiuus.

Prande liberalius,

CATECHESIOS PVERORVM

Nihil partius.

Cibi uel potus non quantum libidini, sed quantum naturæ satis est, sume.

Pransus hilariter quædam facito.

Sub cœnam paulisper ambula.

Cœnaturus idem facito.

Ieiunus studebis ac scribes.

DE DISCRETIONE IN STV

dijs, & animi laxatione.

Contentione in modica obruuntur ingenia discen-
tium.

Aſſiduitas uero, mediocritate perdurat, & quoti-
dianis exercitationibus, maiorum opinione aceruū
accumulat.

Interdum igitur animus laxandus à studio, remi-
tendusq; est.

Id efficitur honestis ludis & laxamentis.

Laxamenta honesta sunt, quæ pueros decent, tro-
cus, pila, globi, agitatio corporis, cursus, ludus spe-
ræ, saltus, Musica, non ea tantum, quæ humane uo-
cis modulis constat, sed etiam quæ fidibus.

Saltus genera sunt, saltus locustrarum, utraq; ti-
bia, iunctis pedibus, unica tibia.

Probatur et palestra, & gladiatoria, si in præse-
tia præceptoris & absq; inuidia fiat.

Natandi artis præstat spectatore esse potius quam

Præstat & in cantionibus, & in

(actorem.

strumentis

Instrumentis musicalibus ingenium exercere, quo delectamento nihil ciuilius, Nihil Musis magis accommodum.

Ludi prohibiti sunt, alea, tesseræ, carthæ, natæ in aquis, & si qui sunt alij huius generis, ganeonum exercitamenta.

Decorant ludum, grauitas, honesta lætitia, uiuacitas, uigor animi, ordo, charitas mutua, ingenue & legitime ludere, uirtute non fraude uincere.

Dehonestant ludum, nimia insolentia, clamor, insaniam, immoderatæ & stultæ gesticulationes, nimia turba, dolus malus.

In honestis ludis pulchrum est arte uincere.

Et si quilibet locum suum grauitate tueatur.

Hanc gratiam conciliat quibusdam lætioris quæstus spes.

Leges ludorum hæc sunt, ne quis inter ludendum, natiuam aut fernaculam linguam loquatur, sed uel eam quæ familiaris minus est, inde fiet ut & ludendo discatur.

Longe utilissimum fuerit statuta mercede, certatim ex authoribus aliquid recitare.

Id fieri curabit diligens præceptor.

MONITORIA IN COMMV

nibus congressibus.

Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, cõpone te in rectum corporis statum. Aperi caput.

K 2

CATECHESIOS PVERORVM

Vultus sit nec tristis, nec Toruus, nec impudens,
nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia tem-
peratus, oculi uerecundi, semper intenti in eum cui lo-
queris, iuncti pedes, quietæ manus.

Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulose,
manus. Nec mordeto labra.

Nec scabito caput. Nec fodito aures.

Vestis item ad decorum componatur.

Totus cultus, uultus, gestus & habitus corporis in
genuam, modestiam, & uerecundam indolem præ se
ferat.

Ne sis ineptæ loquax, aut præceps.

Nec uagetur animus interim, sed sis attentus, quid
ille dicat.

Si quid erit respondendum, id facito paucis, & pi-
denter, subinde præfatus honorem nonnunquam &
addito cognomento honoris gratia.

Atq; itentidem, modicæ flectas alterũ genu, præ-
sertim ubi responsum absolueris.

Nec abeas nisi præfatus ueniam, ut ab ipso demissa
sus.

DE VITANDO PRAVORVM

consortio.

Adiuuat & profectum bonæ educationis prauo-
rum consortia uitare.

Pro 1.

De ijs sic admonet Solomon. Fili mi si te laetauerint
peccatores, ne aquiescas eis.

Ne delecteris

TOMVS QVARTVS. 76

Ne delecteris in semitis impiorum.

Nec tibi placeat malorum uia.

Et Paulus . Corrumunt bonos mores colloquia
praua.

Et modicum fermentum, totā massam corrūpit.

DE BONORVM SOCIETA

te ambienda.

Nullibi libentius uerseris, quā in conspectu ma
gistrorum.

Doctiores & modestiores condiscipulos humani
tate tibi, & obsequio deuincito.

Nam hoc omnium maxime conducit ad eruditio
nem, si quis cum studiosis & eruditis, assiduam et do
mesticam consuetudinem agere possit.

DE VERECVNDIA ADHIBENDA

in incessu.

Sunt qui sensim ambulando gressus imitantur hi
strionum, & quasi fercula pomparum portantium,
& quotiescumq; gradū transferunt, modulos quos
dam seruare uidentur, horum ut pestem gressum
fugito.

Nec cursim nimis ambules, nisi cum causa exigie
alicuius periculi, uel uitæ necessitatis, sed nec lente
nimis.

Est gressus probabilis, in quo est species authori
tatis, granitatisq; pondus, tranquillitatis uestigium,
hunc imitare.

CATECHESIOS PVERORVM

In summa, Motus sit purus & simplex.

Nihil fucatum & affectatum placet.

Motum natura informet.

Si quid autem in natura vitij est, industria emendat. Ut ars desit, non autem desit correctio.

De Pudicitia & Castitate.

Verecundia pudicitia proxima est, quæ nunquam tutius retinetur, quam per verecundiam, et oculorum industriam, ut intueri impudice mulieres parvipedas, non ut execreris sexum, sed ut effugas flagitium.

DE VESTITV.

In uestitu mediocritas, & decentia plurimum commendatur.

Sint igitur uestes nec preciosæ nimis, nec nimis sordidæ, sed quæ publicam honestatem deceant.

Semper hæreant hoc Ouidianum, Procul sint à te iuuenes ut foemina compti.

MONITORIA AD CIVILITATEM & CONVICTUM HUMANUM.

tatem & conuictum humanum.

Principio eum animum obtine, qui nihil acerbum, nihil durum existimet, quod sit honestum.

Qui nullo uel metu deterritus, uel spes captus, ab officio deflectatur. Quam optimos tibi adiungito.

Malos ne facesito. Tua ne iactes.

Aliena ne carpas, aut despicias.

Fac cum omnibus sis ante ferendus, ipsæ te præstas nemini. Cum bonis officijs certa.

Nemini.

TOMVS Q VARTVS.

Nemini aduerseris. Neminē deferto.

Omnibus te affabilem præbeto. Domi hilaris.

Foris compositus. Nemini tua arcana committas,
memor quàm fallax sit multorum amicitia.

Beneficiam confer libenter. Inuitus accipe.

Gloriam si contemnes, ultrò te sequetur, sin seque-
ris, fugiet sequentem.

Ne capta laudari, sed fac laudanda.

Cum potētibus, aut nulla sit consuetudo, aut comi-

Nullus sumptus tibi sit preciosior tempore.

DE MENDACIO FUGIEN-

do, & dicenda ueritate.

Mentiri omnino seruile est uitiū, et à cunctis mor-
talibus odio insectandum, quippe quod nec apud ser-
uos ueniam promeretur.

Caue igitur mentiri assuescas, sit sermo etiam iux-
ta Euangelicam præceptionem, est, est, non, non.

Nunquam mentiendum est, quia mendacium seme-
per, aut fallit, aut nocet.

DE VITANDA EBRIETATE.

Vinum, ait Propheta, & fornicatio, & ebrietas
auferunt cor, quicumq; ijs delectatur, non erit sapi-
ens. Et iterum. Vinum in iocunditatem creatū est,
non in ebrietatem ab initio.

Et rursus Sapiens. Exultatio, inquit, animæ &
corporis, uinum modice sumptum, multū autem po-
tatum, irritationem facit, & ruinas multas.

CATECHESIOS PVERORVM

DE PARVIS PECCATIS

uitandis.

Nec solum à noxijs criminibus tibi tempera, sed etiam à paruis & minutis peccatis.

Sicut enim ab una scintilla augetur ignis, & magna oriuntur incendia, ita parua peccata si fuerint neglecta & contēpta, paulatim trahunt in maxima.

DE SVSTINENDIS PROBRIS

& tentationibus & temerarijs

iudicijs prauorum.

Eleganter Democritus solebat dicere, eodem loco sibi esse uoces imperitorum, quò uentris crepitus. Quid, inquit, mea refert sursum isti, an deorsum crepant? quanta dementia est, uereri ne in fameris ab infamibus?

ADVLATORES FVGIFNDI.

Adulatores magis quàm contumeliosos odisse oportet, quod maior ex illorum ueneno pestis oriri solet, contumeliantes enim aliquando Philosophandi ansam præbent, & emendandi uitam. Adulator autē inter dulcia ac blanda uerba inimicus est.

DE DISCIPLINA ET COR

reptione ferenda,

Verba sunt Solomonis. Qui diligit disciplinam diligit scientiam, qui autem odit increpationem, insipiens est. Via stulti recta in oculis eius, qui autem sapiens est audit consilia. Et iterū. Egestas et ignominia
ei qui

ei qui deserit disciplinam, qui autem acquiescit arguēti glorificabitur. Et Paulo iterū. Non amat pestilens eum qui se corripit.

DE VENERATIONE SENVM

Et quod probatoribus semper pueri se iungere debent.

Adulescentibus hoc quoq; utile est (ut ait Ambrosius) ut claros et optimos viros sequantur. Quoniā qui congregatur sapientibus, sapiens est, qui autē coheret imprudentibus, cognoscitur. Ad instructionē itaq; bonis iungi utile, et ad probitatis testimonium plurimum proficit, ostendunt enim adulescentes, eorum se imitatores esse quibus adhæserint, et ea conualescit opinio, quod ab ijs uiuendi acceperint similitudinem, cum quibus conuersandi hauserint cupiditatem.

Vt enim bona adulescentibus indole præditis sapientes senes delectantur, leniorq; sit eorū senectus, qui à iuuentute coluntur et diliguntur, sic adulescentes senum præceptis gaudent, quibus ad uirtutum studia ducuntur.

DE VERECUNDIA.

Verecundia quā omnibus ætatibus, personis, temporibus et locis apta est, tum adulescentes iuuenilesq; annos maxime decet.

Vt enim in senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, ita in adulescentibus uerecundia, uelut quadam

CATECHESIOS PVERORVM

note commendatur natura.

DE VERECVNDIA ADO-

lescentum in conuictu seniorum,

& sacerdotum & parentum.

Prudenter & gnauiter de uerecundia quidã præmonuit. Dum steteris coram Dominis, hæc quinque tenebis, Iunge manus, compone, caput erige, uisu non dispergaris, sine iussu pauca loquaris.

DE VERECVNDIA ADOLE-

scantum in sermone.

Habet & loquela suam uerecundiam. Ipsum uocis sonum liberet modestia, nec offendat uox fortior.

Denique in ipso cauendi genere, prima disciplina uerecundia est, imò etiam in omni usu loquendi ut sensim quis aut psallere, aut canere aut postremo loqui incipiat, ut uerecunda principia cõmendet processũ.

Vascula inania maxime tinniunt. Ita quibus minimum inest mentis, ij sunt loquacissimi.

DE TACITVRNITATE.

Silentium quoque ipsum, in quo est reliquarum uirtutum ocium, maximus actus uerecundie est.

Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuũ. In multis esto quasi inscius, & audi tacens, simul & quærens. In medio quoque magnatorum loqui non præsumas, & ubi sunt senes non multum loquaris.

DE VITANDA SCORTATIONE.

Exile

Exile est precium mulieris peccatricis, nempe unū
us panis. Mulier autem preciosas animas capit, si se
iunxerit adolescenti, immedicabilem inurit plagā.

Vis autē nosse, quantū fœminarū & scortorum
communio adulescentum animos deprauet? Animad
uertit quid ijs Hebræus ille Sapiens præceperit. Non
intēderis, inquit, fallaciæ mulieris. Fauus enim distil
lans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, no
uissima autem illius amara quasi absinthium, & ling
ua eius acuta, quasi gladius biceps, pedes eius descē
dunt in mortem, & ad inferos gressos eius pene
trant, per semitam uitæ non ambulat, uagi sunt gres
sus eius, & inuestigabiles. Nunc ergo fili mi,
audi me, & ne recedas à uerbis oris mei, longe
fac ab ea uiam tuam, & ne apropinquas foribus
domus eius.

Idem Prouerbio. 7. Fili mi, custodi sermones
meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili, honora
Dominum & ualebis, præter eum uero ne timues
ris alienum. Dic sapientiæ, soror mea es, & pru
dentiam uoca animam tuam, ut custodiat te à muli
ere extranea, quæ uerba sua dulcia facit. De fenestra
enim domus meæ per cancellos perspexi iuuenē, &
uideo paruulos, consydero uecordē iuuenē, qui tran
sit per plateas iuxta angulū, & prope uia domus il
lius graditur in obscuro, ad uesperascēte die in noc
tis tenebris & caligine, & ecce occurrit illi mulier.

CATECHESIOS PVERORVM

in ornatu meretricis, præparata ad decipiēdas ani-
mas, garrula, & uaga, quietis impatiens, nec ualens
in domo consistere pedibus suis, nūc foris, nunc in pla-
teis, nunc iuxta angulos insidiās, apprehensumq; de-
osculantur iuuenem, & procaci uultu blanditur, di-
cēs. Victimam pro salute tua deuoui hodie, reddidi uo-
ta mea, idcirco egressa sum in occursum tuū, deside-
rans te uidere, & reperi. Intexui funibus lectulū me-
um strauitapetibus pictis ex Aegypto, aspersi cubile
meum Myrrha, aloe Cinnamomo, ueni inebriamur
uberibus, & fruamur amplexibus donec illucescat di-
es. Non est enim uir in domo sua, abiit uia longissima.
Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labio-
rum protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos
ductus ad uictimam, & quasi agnus lasciuiens, & ne-
scit quod ad uincula stultus trahatur, donec transfi-
gat sagitta iecur eius, uelut si auis festinet ad laqueū,
& nescit quod de periculo animæ eius agitur.

Nunc ergo fili mi, audi me. Ne abstrahatur in uijs
illius mens tua, neq; decipiaris semitis eius, multos
enim uulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfes-
ti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrantes in-
teriora mortis, & qui applicatur illi, descendet simi-
liter ad inferos, qui autem discesserit ab illa, salua-
bitur.

Probe etiam Simonides adulescentes hortatus est,
ne punicea è manibus excidant lora, id est, flagellum.

Que

Quæ paræmia admonuit, ut semper corpus ipsum
subdatur flagello, ne lasciuiat atq; recalcitret.

DE REDITV POST HORAS
pomeridianas ad domum.

Domum reuersus, idem ages quod ante prandiũ.

DE HIS QVAE POST
Cenam.

A cæna suauibus fabulis temet oblecta.

Mox prosperam noctem parentibus precatus, &
familiæ, mature te conferto ad nidum.

Illic flexis ante lectum genibus, tecũ reputa, qui-
bus studijs dies tibi peractus sit.

Si quid est grauioris admissi, Christi clementiæ
implora, ut ignoscat, polliceriq; meliora.

Si nihil est, age gratias illius beneficentiæ, quod te
seruarit ab omni uitio.

Deinde toto pectore, te illi commendato, ut pro-
tegat te ab insidijs mali genij, et ab obscœnis somnijs.

ORATIO ANTE INGRES-
sum lecti.

Domine pater & Deus uitæ meæ, extollentiam o-
culorum ne dederis mihi, & omne desiderium pra-
uum auerte à me, aufer à me uentris concupiscenti-
as, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me
& animæ irreuerenti & effronti tradas me, Amen.
Kyrieleyson. &c. Pater noster &c.

Hijis factis lectum ingressus modeste te componit

CATECHESIOS PVERORVM

In somnum.

Neq; pronus cubueris, neq; supinus, sed primum lateri dextro innitens, brachijs ita transuersim complicatis, ut pectus muniant figura crucis, dextra manu sinistro admota humero, leua dextro.

DE MEDITATIONE IN LECTO

sub requiem nocturnam.

Sub somnium exquisiti quippiam ac dignū memoria legito, de eo cogitantem sopor oprimat.

Id ex perrectus à te ipso reposcas.

In summa Plinianū illud semp animo insiderat tuo.

Omne tempus perire, quod studio non impertias.

INSTITV

TIO PVELLARVM EX

Epistola, D. Hieronymi

ad Letam.

Sic erudiēda est aīa, quæ future est templū Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui nisi quod ad timorem Dei pertinet.

Turpia uerba nō intelligat, cātica mūdi ignoret.

Adhuc tenera lingua, dulcibus psalmis imbuatur.

Procul sit ætas lasciuia puerorum.

Ipsæ puellæ & pedissequæ à secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, peius doceāt.

ac demum

ac demum pessimo exemplo exercent.

Fiant ei literæ, uel buxæ, uel eburnæ, & suis nominibus appellentur.

Ludat in eis, ut & lusus ipse eruditio sit.

Et non solum ordinem teneat literarum, ut memoria nominum in noticiam transeat, sed & ipse inter se crebro ordo turbetur, & medijs ultima, primis media misceantur, ut eas non sonu tantum, sed & uisu nouerit.

Quum uero cœperit trementi manu stilum ducere in cæra, uel alternis superposita manu teneri regantur articuli, uel in tabella sculpantur elementa, ut per eosdẽ sulcos inclusa, marginibus trahantur ue stigia, ut foras non queant euagari.

Syllabas iungat ad præmium, & quibus illa ætas potest deliniri, munusculis inuitetur.

Habeat & in discendo, quæ secum exercentur, quibus inuideat, quorum laudibus excitetur.

Non obiurganda est, si tardior, sed laudibus excitetur ingenium, ut et uicissim gaudiat, et uicta doleat.

Cauendum in primis, ne oderit studea ne amaritudo eorum, percepta in infantia, ultra rudes annos transeat.

Ipsa nomina per quæ cõsuescit paulatim uerba cõtexere, non sint fortuita, sed certa et coaceruata de industria, Prophetarum uidelicet, et Apostolorum, et ois ab Adã patriarcharum series, de Mathæo in Lucã descēdat

CATECHESIOS PVERORVM

ut dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur.

Magister probe ætatis, & uitæ atq; eruditionis est eligendus.

Nec puto erubescere uirum doctum, id facere in anima Christiana, quod Aristoteles fecit in Philip= pi filio.

Non sunt contemnēda quasi parua, sine quibus magna constare non possunt.

Ipsæ Elementorum sonus, & ipsa institutio præceptoris, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur.

Vnde summopere prouidēdum est, ne aliorū uitio corrumpatur, difficulter enim eraditur, quod rudes animi perbiberunt.

Lanarum conchilia quis in pristinum candorem reuocet?

Græca narrat hystoria Alexandrum potentissimum regem, orbisq; domitorem, et in moribus, & in incessu Leonidis Pædagogi sui, non potuisse carere uitijs, quibus adhuc paruulus fuit infectus.

Procliuis est enim malorum æmulatio, & quorū uirtutes assequi nequeas, cito imitaris uitia.

Nutrix ipsa non sit temulenta non lasciuia, non garrula.

Habeat modestam gerulam, nutricem grauem.

Caue ne aures uirgūculæ perfores, ne cerussa, & purpurisso consociata Christo ora depingas.

Nec collum

Nec collū auro, et margaritis premas, nec caput
gemmis oneres, nec capillum crispes, & ei aliquid de
gehennæ ignibus auspiceris.

Non uescatur in publico, id est, in parentū conui-
uio, ne uideat cibos quos desyderet.

Discat iam nunc uinum non bibere, in quo est luxē-
uria.

Ante annos robustæ ætatis, periculosa est teneris
grauis abstinentia.

Vsq; ad id tempus, si necessitas postulauerit, bal-
neas adeat, & uino utatur modico, si libet, propter
stomachum, & carniū edulio sustentetur, ne prius
deficiant pedes, quàm currere incipiant. Et hoc dico
iuxta indulgentiam, non iuxta imperium, timens de-
bilitatem, non docens luxuriam.

Surda sit ad organa. Tibia, lyra, cythara, cur fa-
cta sint, nesciat:

Reddat sibi pensum quotidie de scripturarum flo-
ribus carptim.

Discat Græcorum uersuum numerum.

Sequatur statim, et latina eruditio, quæ si non ab
initio os tenerum composuerit, in peregrinam homi-
num linguam corrumpitur, & externis uitijs sermo
patrius sordidatur.

Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in
gremio calathū, rotare fusū, stamina pollice ducere,
Spernat bombicum telas, Serum, uellera, et auris

CATECHESIOS PVERORVM

in fila lentescens.

Talia uestimenta paret, quibus pellatur frigus,
non quibus uestita corpora nudentur.

Sic comedat, ut semper esuriat, ut statim post cibū
possit psallere & legere.

Si quando ad suburbana pergis, domi filiam non
relinquas. Nesciat sine te, nec possit uiuere, & cum so-
la fuerit pertimescat.

Non habeat colloquia secularium, non malarum
uirginum contubernia.

Non intersit nuptijs seruulorum, neq; familiæ per
strepentis lusibus misceatur.

Scio præcepisse quosdam, ne uirgo Christi cum
eunuchis se lauet, nec cū maritatis fœminis, quia alij
non deponunt animos uirorum, aliæ tumentibus ute-
ris præferunt fœditatem.

Mihi omnino in adulta uirgine lauacra displicēt,
quæ seipsam debet erubescere, & nudam uidere non
posse.

Si enim flammam libidinis, & incentiua feruentis
ætatis, extinguere cupit cōtinentiæ frigore, si appe-
titis sordibus, turpare festinat naturalem pulchri-
tudinem, cur è contrario balnearum fomentis sopi-
tos ignes suscitatur?

Pro gemmis in serico, diuinos codices amet, in qui-
bus non auri, et pellis Babilonicæ uermiculata pietas
ra, sed ad fidē placeat emēdata et erudita distinctio.

Discat

Discat primo Psalterium, hic se canticis auocet
Et in Prouerb. Solomonis erudiat ad uitam.

In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt conculcare, in Iob uirtutis & patientiæ.

Huc usq; Hieronymi uerba percensuimus, quibus Lætæ filiam instituit Christo dicatã, sed quæ in quæuis puerum, quamuis uirginem Christianam applicari non inepte possunt.

EPISTOLA DIVI AGV-
stini de liberorum educatione.

DILECTO filio in Christo Fabiano, Augustinus Episcopus salutem. Congratulor unã tecum quoniam te prole nuper habere cognoui. Sed deprecor, ut dum tempus affuerit, castigare prolem non differas. Nam sicut fructus non inuenitur in arbore in qua flos prius non apparuerit, sic et in senere uirō, qui nisi à patre tempore adolescentiæ in bono nutritus fuerit, tempore senectutis fructus bonorum operum nõ apparerunt. Castiga igitur quem debes, dum iuuenescit,
Vale.

DE CIVILITATE MORVM

Puerilium, Ex Des. Eras. Roterod.



VNVS formandi pueritiam multis constat partibus, quarum sicuti prima, ita præcipua est ut tenellus animus inbibat pietatis semina: proxima, ut liberales disciplinas & amet, & perdiscat: tertia est ut ad uitæ officia instruat: quarta est, ut à primis statim æui rudimentis ciuilitati morū assuescat. Hanc postremam nunc mihi proprie sumpsi. Nam de superioribus, quum alij complures, tū nos quoq; per multa scripsimus. Quanquam autē extremum illud corporis decorum ab animo bene composito profisciscitur, tamen incuria præceptorum nonnunquam fieri uidemus, ut hanc interim gratiam in probis & eruditis hominibus desideremus. Nec inficior hanc esse crassissimam Philosophiæ partem, sed ea, ut sunt hodie mortalium iudicia, plurimum conducit, & ad conciliandam beneuolentiam, & ad præclaras illas animi dotes, oculis hominum commendandas. Decet autē, ut homo totus sit compositus animo, corpore, gestibus, ac uestitu, sed in primis pueros decet omnis modestia, & in his præcipue nobiles. Pro nobilibus autem habendi sunt omnes, qui studijs liberalibus excolunt animum. Pingant alij in clypeis suis leones, aquilas, tauros & leopardos: plus habent ueræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere,

depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Vt ergo bene compositus pueri animus undiq; reluceat, relucet autem potissimum in uultu, sint oculi placidi, uerecundi, compositi, non torui, quod est truculentiae, non improbi, quod est impudentiae, non uaggi ac uolubiles, quod est insaniae, non limi, quod est suspiciosorum, & insidias molientium, nec immodice diducti, quod est stolidorum, nec subinde conuiuentibus genis ac palpebris, quod est inconstantium, nec stupetes, quod est attonitorum, id in Socrate notatum, nec nimium acres, quod est iracundiae signum, non inuuentes ac loquaces, quod est impudicitiae signum, sed animum sedatum ac reuerenter amicum praeserentes.

Nec enim temere dictum est a priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturae quidem ueteres nobis loquuntur, olim singularis cuiusdam modestiae fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodum apud Hispanos quosdam semipetos intueri, blandum haberi uidetur & amicum. Itidem ex picturis discimus, olim contractis strictisque labijs esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur.

Quanquam in his quoque decet interdum nos fieri Polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Iam sunt quidam oculorum habitus, quos alij alios addit natura, qui non cadunt sub nostras praecipit-

DE CIVILITATE

ones, nisi quòd incompositi gestus non raro uitiant, non solum oculorum, uerumetiam totius corporis habitus ac formam. Contrà, compositi, quod natura decorũ est, reddunt decentius, quod uiciosum est, si nõ tollunt, certe tegunt minuuntq;. Indecorũ est, clauso oculorũ altero, quenquã obtueri. Quid enim hoc aliud est, quàm seipsum eluscare?

Eum gestum thynnus ac fabris relinquamus. Sint exporrecta supercilia, non adducta, quod est toruitatis, non sublata in altũ, quod est arrogantia, non in oculos depressa, quod est male cogitantium.

Frons item hilaris et explanata, mentem sibi bene consciam, et ingenium liberale præ se ferens, non in rugas contracta, quod est senij, non mobilis, quod est erinaceorum, non torua, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulentia, quod est sordidiorũ. Id uitiũ Socrati Philosopho datũ est probro.

Pileo aut ueste emungi, rusticanum, brachio cubi tõe, falsamentariorum, nec multo ciuilius id manufieri, si mox pituitam uesti illinas.

Stropholis excipere narium recrementa, decorum, idq; paulisper auerso corpore, si qui ad sint honoratiores.

Si quid in solum deiectum est, emuncto duobus digitis naso, mox pede proterendum est.

Indecorum est subinde cum sonitu spirare nariibus, bilis id indicium est.

Turpius

Turpius etiam ducere ronchos, quod est furiosorum, si modo fiat usu. Nam spiritosis qui laborant orthopnoea, danda est uenia. Ridiculum naribus uocem emittere, nam id cornicinum est, & Elephantorum. Crispere nasum, irrisoriam est, & sannionum.

Si alijs presentibus incidat sternutatio, ciuile est corpus auertere. Mox ubi se remisit impetus, signare os crucis imagine, dein sublato pileo, resalutatis qui uel salutarunt, uel salutare debuerant, (nam sternutatio quemadmodum oscitatio sensum aurium prorsus aufert) precari ueniam aut agere gratias. Alterum in sternutamento salutare religiosum. Et si plures adsint natu maiores, qui saluent uirum aut foeminam honorabilem, pueri est aperire caput. Porro uocis tinnitum studio intendere, aut data opera sternutamentum iterare, nimirum ad uirium ostentationem, nugonum est.

Reprimere sonitum quem natura fert, ineptorum est, qui plus tribuunt ciuilitati quam salutem. Malas tinguat natiuus & ingenitus pudor, non fucus aut adscititius color. Quanquam is quoque sic temperandus est, ut nec uertatur in improbitatem, nec adducat stuporem, et quartum, ut habet prouerbiu, insaniam gradum. Quibusdam enim affectus tam impotens insitus est, ut reddat delirantissimum. Temperatur hoc malum, si puer inter maiores adsuescat uiuere, et comedijs agendis exerceatur.

DE CIVILITATE.

Inflare buccas fastus indicium est, easdem demittere, animum despondentis. Alterum est Thraſonis, alterum Iudæ proditoris. Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitum haurire, ne hiet, quod est morionum, sed leniter osculantibus se mutuo labris coniunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labijs ueluti poppismū facere, quāquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus, condonandum est, illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Si fors urgeat oscitatio, nec datur auerti, aut cedere, strophio uolauē tegatur os, mox imagine crucis obſignetur. Omnibus dictis aut factis arridere, stultorum est, nullis arridere, stupidorum. Obscœne dictis aut factis arridere nequitia est. Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Græci *συχρόσμοιο* appellant, nulli decorus est ætati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quod quidam ridentes hinnitum ædunt. Indecorus et ille qui oris rictum late diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dētibus, q̄ caninus est, et Sardoniū dicitur.

Sic autem uultus hilaritatē exprimat ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ uoces sunt, risu diffluo, risu dissilio, risu emorior, et si qua res adeo ridicula inciderit, ut nolētibus eiusmodi risum exprimat, mappa manuue tegenda facies. Solum, aut nullam euidentē ob
causam

causam ridere, uel stultitiæ tribuitur, uel insanie. Si quid tamen eiusmodi fuerit obortum, ciuilitatis erit alijs aperire risus causam, aut si non putes proferendam, commentitium aliquod adferre, ne quis se derideri suspicetur. Superioribus dentibus labrũ inferiorius premere, inurbanũ est, hic enim est minantis gestus, quemadmodũ et inferioribus mordere superius. Quin et labrorũ oras lingua circũuoluta subinde labere, ineptũ. Porrectioribus esse labris, et uelut ad osculũ compositis olim apud Germanos fuisse blandũ indicant illorum picturæ. Porrecta lingua deridere quenquã, scurrile est. Auersus expuito, ne quem conspuas aspergasue. Si quid purulentius in terram reiectũ erit, pede ut dixi, proteratur, ne cui nausẽ moueat. Id si non licet, linteolo sputum excipito. Resorbere saliuam inurbanum est, quemadmodum quosdam uidemus, non ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodq; uerbum expuere. Quidam in decore subtuſiunt identidem inter loquendum, idq; non ex necessitate, sed ex more, is gestus est mentientium, & inter dicendum, quid dicant comminſcentium. Alij minus etiam decore ad tertium quodq; uerbum eruẽtant, quæ res si à teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiore ætate. Idem sentiendum de screatu, quibus nominibus à seruo notatur Terentianus Clitipho. Si tussis urgeat, caue ne cui tussias in os, & absit ineptia clarius

DE CIVILITATE

tusiendi quàm natura postulet. Vomiturus se-
cede, nam uomere turpe non est, sed ingluvie uomi-
tum accersisse, deforme est.

Dentium mundicies curanda est, uerum eos pului-
sculo candidare puellarum est, sale aut alumine de-
fricare, gingiuae perniciosum, idem lotio facere, Ibe-
rorum est.

Si quid inhaesit dentibus, non cultello, non ungui-
bus, canum felumue more, non mantili eximendū est,
Sed uel lentisci cuspide, uel penna, uel ossiculis è gal-
lorum aut gallinarum tibijs detractis. Os mane pura
aqua proluere & urbanum est, et salubre, subinde id
facere ineptū. De linguae usu suo dicemus loco. Rusti-
canū est impexo esse capite. Adsit mundicies, non ni-
tor puellaris. Absint sordes lendiū et uermiculorū.
Subinde scabere caput apud alios, parum decet, quē-
admodū unguibus reliquum fricare corpus sordidū
est, praesertim si fiat usu, non necessitate. Coma nec
frontē tegat, nec humeris inuolitet. Subinde cōcusso
capite discutere capillitiū, lasciuentiū est equorum.
Caesariem à fronte in uerticē laeva retorquere, parū
elegans est, manu discriminare modestius. Inflectere
cervicem & adducere scapulas pigritiam arguit, re-
supinare corpus, fastus indicium est, molliter erectū,
decet. Cervix nec in laeuum nec in dextrum uergat,
hypocriticū enim, nisi colloquiū aut aliud simile po-
stulet. Humeros oportet æquo libramine tēperare,
nō in morem

nō in morē antennarū alterum attollere, alterum deprimere. Nā huiusmodi gestus in pueris neglecti, uertuntur in naturam, & corporis habitū præternaturam deformant. Itaq; qui præ desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum cōciliant, quem natura non dederat & qui deflexū in latus caput habere consueuerunt, in eum habitum indurescunt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidē tenera corpuscula plātulis similia sunt, quæ in quācunq; speciem furca funiculōue deflexeris, ita crescunt & indurescunt. Vtrunq; brachium in tergum retorquere, simul & pigritiæ speciem habet & furis, neq; multo decentius est altera manu in ilia iniecta, a stare sederēue, quod tamen quibusdam elegans ac militare uidetur. At non statim honestū est quod stultis placuit, sed quod naturæ & rationi consentaneū est. Reliqua dicentur quum ad colloquium & conuiuium uentum erit. Membra quibus natura pudorem addidit, retegere citra necessitatem, procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamen id quoq; decente uerecundia faciendum est, etiamsi nemo testis adsit. Nunquam enim non adsunt angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiae comes custosq; pudor. Quorum autem cōspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere contactui. Lotiū remorari ualetudini perniciosū, secreto reddere uerecūdū.

DE CIVILITATE.

Sunt qui præcipiāt ut puer compressis natibus uētris flatū retineat. Atqui ciuile non est, dum urbanus uideri studes, morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat. Sin minus iuxta uetustissimū prouerbiū, Tussi crepitum dissimulet. Alioqui quur non eadem opera præcipiunt ne aluum deiciant, quum remorari flatū periculosius sit quā aluum stringere.

Diductis genibus sedere, aut diuaticatis tibijs distortisue stare, Thrasonum est. Sediti coeant genua, stanti pedes, aut certe modice diducantur, Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibijs, quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in leuum femur iniecto sedere, priscorum regum mos est, sed improbatum.

Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt, unūq; propemodum insistent tibiæ, ciconiarū ritu, quod an pueros deceat nescio. Eadem in flectendis genibus aliud apud alios decet dedecetue. Quidam utrumq; pariter inflectunt, idq; rursus alij recto corpore, alij nonnihil incuruato. Sunt qui hoc ceu muliebri rati, similiter erecto corpore primum dextrum incuruant genu, mox sinistrū quod apud Brittanos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circumactu, dextrum duntaxat inflectunt. In his in quibus uarietas nihil habet cum honesto pugnans, liberum erit uel uernaculis

culis uti moribus, uel alienis obsequundare, quando sunt quos magis capiant peregrina. Incessus nec fractus sit, nec præceps, quorum alterum est molliū, alterum furiosorum, nec uacillans. Nam in ep- tam in incessu subclaudicationem Suiceris militibus relinquamus, & ijs qui magnum ornamentum ducūt in pileo gestare plumas. Tametsi uidimus Episcopos hoc gestu sibi placere. Sedentem pedibus ludere stultorum est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

DE CVLTV.

IN summa dictum est de corpore, nūc de cultu patris. eō quod uestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoque liceat habitum animi conijcere. Quanquam hic certus præscribi modus non potest, eo quod non omnium par est uel fortuna, uel dignitas nec apud omnes nationes eadem decora sunt aut indecora, postremo nec omnibus sæculis eadem placent displicentue. Vnde quemadmodum in alijs multis ita hic quoque non nihil tribuendum est iuxta pro uerbum, νόμος καὶ χάρις atque etiam καὶ εὐδαιμονία, cui seruire iubent sapientes. Est tamen in hisce uarietatibus quod per se sit honestum aut secus, uelut illa quæ nullum habent usum cui paratur uestis. Prolixas trahere caudas in fœminis ridetur, in uiris improbatur, an Cardinales & Episcopos deceat, alijs æstimandū

DE CIVILITATE

relinquo. Multitudo nūquam non probro data sunt tū uiris, tum foeminis, quandoquidē hic est alter uestis usus, ut ea tegat quæ impudicè ostendūtur oculis hominum. Olim habebatur parum uirile, distinctum esse, nunc idem nemini uitio uertitur, quòd indusijs, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiā si diffluat tunica. Alioqui uestis breuior quā ut inclinanti tegat partes quibus debetur honos nusquā non inhonesta est. Dissicare uestem, amentium est, picturatis ac uersicoloribus uti, morionum est ac simiorum. Ergo pro more facultatum ac dignitatis, proq; regione & more adsit cultui mundicies, nec sordibus notabilis, uel luxum aut lasciuiam, aut fastum præ se ferens. Neglectior cultus decet adulescentes, sed citra immundiciam. Indecore quidā interularū ac tunicarum oras aspergine lotij pingūt, aut sinū brachialiaq; indecoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium et oris pituita. Sunt quibus uestis in alterum latus defluit, alijs in tergum ad renes usq; nec desunt quibus hoc uideatur elegans.

Vt totum corporis habitum & mundum, & compositum esse decet, Ita decet illum corpori congruere. Si quid elegantioris cultus dedere parentes, nec te ipsum reflexis oculis contemplare, nec gaudio gestias, alijsq; ostentes, nam alterum simiarum, alterum pauonum, mirentur alij, tu te benè cultum nescias.

Quo

Quo maior est fortuna, hoc est amabilior mode-
stia. Tenuioribus in conditionis solatium con-
cedendū est, ut moderatè sibi placeant. At di-
ues ostentans splendorem amictus, alijs suam expro-
brat miseriam, sibiq; constat inuidiam.

IN CONVIVIIS.

IN conuiuijs adsit hilaritas, absit petulantia non
nisi lotus accumbe, sed ante præfectis unguibus,
ne quid in his hæreat sordiū, dicarisq; *ἑυτοκὸν βυλ*
ac prius clam reddito lotio, aut si res ita postulet, ex-
onerata etiam aluo, & si forte strictius cinctum esse
contingat, aliquantulum relaxare uincula consultū
est, quod in accubitu parum decore fiat. Abstergens
manus, simul abijce quicquid animo ægrè est. Nā in
conuiuio nec tristè esse decet, nec cōtristare quēquā.
Iussus consecrare mēsam manus ac uultū ad religionē
cōponito, spectās aut cōuiuij primariū, aut si fors ad-
est imaginē Christi, ad nomē Iesu, matrisq; uirginis
utrūq; flectens genu. Hoc muneris si cui alteri delega-
tū fuerit, pari religione tū auscultato, tū respōdeto.
Sedis honorē alteri libenter cede, et ad honoratiore
locū inuitatus, comiter excusa, si tamē id crebro seri-
oq; iubeat aliq; autoritate præditus, uerecūdè ob-
tempera, ne uideare pro ciuili præfractus. Accum-
bens utranq; manum super mensam habe, nō coniun-
ctim, nec in quadra. Quidam enim indecore uel
unam, uel ambas habent in gremio.

DE CIVILITATE.

Cubito uel utroq; uel altero, inniti mensæ, senio morboûe lassis condonatur, idem in delicatis quibusdam aulicis, qui se decere putant quicquid agunt, dissimulandum est, non imitandum. Interea cauendum ne proxime accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbenti, pedibus sit molestus. In sella uacillare & nunc huic nunc alteri nati uicissim insidere, speciem habet subinde uëtris flatum emittentis, aut emitte re conantis. Corpus igitur æquolibramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio læuo imposito. Cum honoratioribus accubiturus, capite pexo pileum relinquito, nisi uel regionis mos diuersum suadeat, uel alicuius autoritas præcipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdam nationes mos est ut pueri stâtes ad maiorû mensâ capiant cibû extremo loco reiecto capite. Ibi ne puer accedat nisi iussus, ne hæreat usq; ad conuiuij finem, sed sumpto quod satis est, sublata quadrâ sua, flexo poplite salutet conuiuas, præcipuæ qui inter conuiuas est cæteris honoratior. A dextris sit poculum et cultellus escarius ritè purgatus, ad læuam panis. Panem una uola pressum, summis digitis refringere, quorundam aulicorum delicias esse sinito, tu cultello seca decenter, non undiq; reuellens crustum aut utrinq; resecaus, delicatorem hoc est. Panem Veteres in omnibus conuiuijs ceu rem sacrâ religiose tractabant, unde nunc quoq; mos relictus est.

est, cum forte delapsum in humum ex osculari. Conuiuium statim à poculis auspiciari potorum est, qui bibunt, non quòd sitiant, sed quòd soleant. Nec ea res solum moribus est inhonesta, uerum etiam officit corporis ualetudini. Nec statim post sumptam ex iure offam bibendum, multo minus post lactis esum. Puerò sæpius quàm bis, aut ad summum ter in conuiuiò bibere, nec decorum est, nec salubre. Semel bibat aliquãdiu pastus de secundo missu, præsertim sicco, dein sub conuiuij finem, idq; modice sorbendo, non ingurgitando, nec equorum cum sonitu.

Tum uinum tum ceruisia, nihilominus quàm uinũ inebrians, ut puerorum ualetudinem lædit, ita mores dedecorat. Aqua feruidæ conuenit ætati, aut si id nõ patitur siue regionis qualitas, siue alia quæpiam causa, tenui ceruisia utitor, aut uino nec ardenti, et aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur præmia, dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stupor, breuiter senium ante senectam.

Antequam bibas præmande cibum, nec labra ad moueas poculo, nisi prius mantili aut linteolo absterfa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de communi bibitur poculo.

Inter bibendum intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodum ex ciconiarum exemplo ceruicem intergum reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho, parum est liberale.

M

DE CIVILITATE.

Salutantem poculo resalutet cotmies, & admo-
tis labris cyatho paululum libans, bibere se simulet,
hoc civili nugoni satis erit. Qui si rusticus urgeat,
polliceatur se tum responsurum quum adoleuerit.

Quidam ubi uix bene confederint, mox manus in
epulas conijciunt, id luporum est, aut eorum qui de
chytropode carnes nõdũ immolatas deuorãt, iuxta
prouerbium.

Primus cibum appositum ne attingito, non tantũ
ob id quòd arguit auidum, sed quòd interdum cum pe-
riculo coniunctum est, dum qui feruidum inexplora-
tum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si degluti-
at, adurere gulam, utroq; ridiculus & que ac miser.
Aliquantisper morandum, ut puer adsuescat affectui
temperare. Quo consilio Socrates ne senex quidem
unquam de primo cratere bibere sustinuit. Si cum
maioribus accumbit puer, postremus, nec id nisi inui-
tatus, manum admoueat patinæ.

Digitos in iussulenta immergere, agrestium est, sed
cultello fuscinaue tollat quod uult, nec id ex toto eli-
gat disco, quod solent liguritores, sed quod fortè an-
te ipsum iacet sumat, quod uel ex Homero discere li-
cet, apud quem creber est hic uersiculus.

Οἱ δ' ἐπὶ ὀνειῶθ' ἐτοίμα προκίμνα χεῖρας ἰάλλον.

Id quoq; si fuerit insigniter elegans, alteri cedat,
& quod proximum est accipiat. Ut igitur intempe-
rantis est in omnes patinæ plagas manum mittere cita

parum decorum patinam inuvertere, quo ueniant ad te lautiora.

Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem, praefatus excusatiunculam recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reliquum offerat ei qui porrexerat, aut proxime assidenti communicet.

Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est. Si quis eplacenta uel artocrea porrexit aliquid cocleari, aut quadra excipe, aut cocleare porrectum accipe, & inuerso in quadram cibo, cocleare reddito. Si liquidius est, quod datur gustandum, sumito, et cocleare reddito, sed ad mantile extersum.

Digitos unctos uel ore praelingere, uel ad tunicam extergere, pariter inciuile est, id mappa potius aut mantili faciendum.

Integros bolos subito deglutire ciconiarum est, ac balatronum. Si quid ab alio fuerit desectum, inciuile est manum quadrae porrigere, priusquam ille structor offerat, ne uideare praeripere, quod alteri paratum erat. Quod porrigitur aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum.

Si quod offertur non congruit tuo stomacho, caue ne dixeris illud Comici Clitiphonis, non possum pater, sed blande agito gratias. Est enim hoc urbanissimum recusandi genus. Si perstet inuitator, uerecunde dicito, aut non conueniret tibi, aut te nihil amplius requirere.

DE CIVILITATE.

Discenda est à primis statim annis secandi ratio, non superstitiosa, quod quidam faciunt, sed civilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas, qua de re sigillatim præcipere, ut prolixum sit, ita nec operæ precium. Illud in unum sum tradi potest, Apitiorum esse, omni ex parte, quicquid palato blanditur abradere.

Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est.

Panem prærosus iterum in ius immergere, rusticorum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, inelegans est. Nam si quod forte sumptum est, quod deglutiri non expedit, clam auersus aliquo proijciat.

Cibum ambesum aut ossa semel in quadram seposita repetere, uicio datur. Ossa aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam proijce, nec in patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum, qui apud nonnullos reliquijs excipiendis apponitur.

Canibus alienis de mensa porrigere cibum ineptiæ tribuitur, ineptius est illos in conuiuio contrectare.

Oui putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculum est, idem inserta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius.

Ossa

Ossa dentibus arrodere caninum est, cultello purgare ciuile.

Tres digiti salino impressi, uulgari ioco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumendum est salis quantum satis est. Quadram aut patinam, cui saccarum aut aliud suaue quiddam adhæsit, lingua lambere felium est, non hominum. carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquandiu mandat, priusquam traiciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, uerum etiam ad bonam ualetudinẽ pertinet, Quidam deuorant uerius quã edunt, non aliter quã mox ut aiunt, abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingrunt, ut utrinque ceu folles tumeant buccæ, alij mandentes diductu labiorum sonitum ædunt porcorum in morem. Nonnulli uorandi studio spirant etiam naribus, quasi præuocandi. Ore pleno uel bibere, uel loqui nec honestum est, nec tutum. Vicissitudo fabularum interuallis dirimat perpetuum esum. Quidam citra intermissionem ædunt bibuntue, non quòd esuriant sitiantue, sed quòd alioqui gestus moderari non possunt, nisi aut scabant caput, aut sculptant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut expuant. Eares à rustico pudore profecta, nonnullam insanie speciem habet. Auscultandis aliorum sermonibus fallendum est hoc tædij, si non datur oportunitas loquendi. Inci

DE CIVILITATE.

uile est cogitandum in mensa accumbere. Quosdam autem uideas adeo stupentes, ut nec audiant quod ab alijs dicatur, nec se comedere sentiant, & si nominatim appelles, uelut e somno excitari uideantur, adeo totus animus est in patinis. Inurbanum est oculis circumactis obseruare quid quisque comedat, nec decet in quenquam conuiuarum diutius intetos habere oculos. Inurbanius etiam transuersim hircus intueri, qui in eodem accubunt latere, inurbanissimum retortio in tergum capite contemplari quid rerum geratur in altera mensa. Effutire si quid liberius inter pocula dictum factumue sit, nulli decorum est, nedum puero. Puer cum natu maioribus accubens nunquam loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quoquam inuitetur. Lepide dictis modice arideat, obscœne dictis nequando arideat, sed nec frontem contrahat si præcellit dignitate qui dixit, sed ita uultus habitum temperet, ut aut non audisse, aut certe non intellexisse uideatur. Mulieres ornant silentium, sed magis puritiam. Quidam respondent priusquam orationem finierit, qui compellat, ita sæpe fit, ut aliena respondens sit risui, detque ueteri locum pro uerbio. *Αμας ἀπὸ τῶν*. Docet hoc rex ille sapientissimus, stultitiæ tribuens respondere priusquam audias, non audit autem quod non intelligit. Sin minus intellexit percontantem, paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat, Id si non facit, sed responsum urget, blande ueni-

am

am præfatus puer, oret ut quod dixerat dicat denuo
 Intellecta percontatione, paululum interponat mo-
 ræ, deinde tum paucis respondeat, tum iucunde, In
 conuiuio nihil effutiendum quod offuscet hilaritatē
 Absentium famam ibi ledere piaculum est. Nec cui-
 quam illic suus refricandus est dolor. Vituperare
 quod appositum est, in ciuilitati datur, & ingratum
 est conuiuatori. Si de tuo prebetur conuiuium, ut ex-
 cusare tenuitatem apparatus urbanum, ita laudare
 aut commemorare quanti constiterint, in suaue pro-
 fecto condimentum est accumbentibus. Denique si qd
 a quoquam in conuiuio fit rusticius per imperitiam,
 ciuiliter dissimulandum potius quam irridendum.
 Decet computationem libertas. Turpe est, sub dium,
 ut ait flaccus, rapere, si quid cui super cœnam exci-
 dit incogitantius. Quod ibi fit diciturue, uino inscri-
 bendum, ne audias *Μισὸν μνάμονα συμπόταν*. Si conuiu-
 um erit quā pro puerili ætate prolixius & ad luxum
 tendere uidebitur, simul atque senseris naturæ factū
 satis, aut clam, aut ueniā precatus te subducito. Qui
 puerilem ætatem adigunt ad inediā, mea quidem sē-
 tentia insaniunt, neque multo minus ij qui pucros im-
 modico cibo differciunt. Nam ut illud debilitat tene-
 ri corpusculi uiriculas, ita hoc animi uim obruit. Mo-
 deratio tamen statim est discenda. Citra plenam sa-
 turitatem reficiendum est puerile corpus, magisque
 crebro quā copiose. Quidam se saturos nesciunt,

DE CIVILITATE.

nisi dum ita distentus est uenter, ut in periculum ueniant ne dirumpatur, aut ne per uomitum reijciatur onus. Oderunt liberos qui illos etiamnum teneros coenis in multam noctem productis perpetuo sinunt assistere. Ergo si surgendum erit a prolixiore conuiuio, quadrantem tuam cum reliquijs tollito, ac saluto qui uidetur inter conuiuas honoratissimus, mox et alijs simul, discedito, sed mox rediturus, ne uideare lusus aut alterius parum honeste rei gratia te subduxisse. Reuersus ministrato si quid opus erit, aut reuerenter mensae assistito, si quis quid iubeat expectans, si quid apponis aut submoues, uide ne cui uestem iure perfundas. Candelam emuncturus, prius illam a mensa tollito, quodque emunctum est protinus aut harenam immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundisue, laeua id facias caueo. Iussus agere gratias, compone gestus paratum te significans donec silentibus conuiuis dicendi tempus adfuerit. Interim uultus ad conuiuio praesidentem reuerenter uersus sit & constanter.

DE CONGRESSIBVS.

Si quis occurrerit in uia, uel senio uenerandus, uel religione reuerendus, uel dignitate grauis, uel alioqui dignus honore, meminerit puer de uia decedere, reuerenter aperire caput, non nihil etiam flexis poplitibus. Ne uero sic cogitet, quid mihi cum ignoto, quid cum nihil unquam bene te me merito? Non hic honos
tribuitur

tribuitur homini, non meritis, sed deo. Sic deus iussit per Solomōem, qui iussit assurgere cano: sic per Paulum, qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere. In summa, omnibus præstare honorem quibus debetur honos, complectens etiam Ethnicum magistratum, & si Turca, quod absit, nobis imperet, peccaturi simus, si honorem magistratui debitum, illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secundum deum primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominum quodammodo dum formant, generant. Iam et inter æquales, illud Pauli locum habere debet, honore inuicem præuenientes. Qui parem aut inferiorem honore præuenit, non ideo fit ipse minor, sed ciuilior, et ob id honoratior. Cum maioribus reuerenter loquendum & paucis, cum æqualibus amanter & comiter. Inter loquendum, pileum læua teneat, dextra leuiter admota umbilico, aut quod decentius habetur, pileum utraque manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus tegat pubis locum. Librum aut galerum sub axilla tenere rusticius habetur. Pudor adsit, sed qui decoret, non reddat attonitum. Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesq; nihil procax improbum uel præseferentes. Oculos in terram deijcere, quod faciunt catoblepæ, malæ conscientie suspitionem habet. Transuersim tueri, uidetur auersantis. Vultum huc illuc uoluerere, leuitatis argumentum est.

N

DE CIVILITATE.

Indecorum est interim uultum in uarios mutare habitus, ut nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc distorquantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur, hæc animū arguūt Protei similem. Indecorum & illud, concusso capite iactare comam, sine causa tussire, screeare, quemadmodum & manu scabere caput, scalpere aures, emūgere nasum, demulcere faciem, quod est ueluti pudorem abstergentis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis uidemus Italis. Rotato capite negare, aut reducto accersere, & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut uirum interdum deceat, puerum minus decet. Ille liberale est iactare brachia, gesticulari digitis, uacillare pedibus. breuiter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens à picarum moribus. Vox sit mollis ac sedata, non clamosa, quod est agricolarum, nec tam pressa ut ad aures eius cui loqueris non perueniat. Sermo sit non præceps, & mentem præcurrens, sed lentus & explanatus. Hoc etiam naturalem battarismum, aut hæsitantiam, si non in totum tollit, certe magna ex parte mitigat, quum præcipitatus sermo, multis uitiū conciliet, quod non dederat natura.

Inter colloquendum, subinde titulum honorificum eius quem appellas repetere ciuilitatis est. Patris ac matris uocabulo nihil honorificencius, nihil dulcius.

Fratri

Fratriſ ſororiſue nomine nihil amabilius. Si te fugz
 unt tituli peculiareſ, omneſ eruditi ſint tibi præcep
 toreſ obſeruandi, omneſ ſacerdoteſ ac monachi, re
 uerendi patreſ, omneſ æqualeſ fratreſ & amici, bre
 uiter omneſ ignoti domini, ignotæ domine. Ex ore
 pueri turpiter auditur iuſurandum, ſiue iocuſ ſit ſi
 ue reſ ſeria. Quid enim turpiuſ eo more, quo apud
 nationeſ quæſdam ad tertium quodque uerbum deie
 rant, etiam puellæ, per panem, per uinum, per cande
 lam, per quid non? Obſcœniſ dictiſ nec linguam præ
 beat ingenuuſ puer, nec aureſ accommodet. Denique
 quicquid inhoneſte nudatur oculiſ hominum, inde
 center ingeritur auribuſ. Si reſ exigat, ut aliquod
 membrum pudendum nominetur, circumſitione uere
 cunda rem notet. Ruruſ ſi quid inciderit, quo audi
 tori nauſeam ciere poſſit, uelut ſi quiſ narret uomit
 tũ, aut latrinam, aut oletũ, præſetur honorẽ aurib.
 Si quid reſellendum erit, caue dicat, haud uera præ
 dicas, præſertim ſi loquatur grãdiori natu, ſed præ
 fatuſ pacem, dicat, mihi ſecuſ narratum eſt à tali.
 Puer ingenuuſ cum nemine contentionem ſuſcipiat,
 ne cum æqualibuſ quidem, ſed cedat potiuſ uictori
 am, ſi reſ ad iurgium ueniat, aut ad arbitrum prouo
 cet. Ne cui ſe præferat, ne ſua iactet, ne cuiuſquam
 inſtitutum reprehendat aut ulliuſ nationiſ ingenium
 morſue ſugillet, ne quid arcani creditum euulget,
 ne nouoſ ſpargat rumoreſ, ne cuiuſ obtrectet fame,

DE CIVILITATE

famæ, ne cui probro det, uitium natura insitum. Id enim non solum contumeliosum est & inhumanum, sed etiam stultum, ueluti si quis luscum appellet luscum, aut loripedem loripedem, aut strabum strabum, aut nothum nothum. His rationibus fiet, ut sine inuidia laudem inueniat, & amicos paret. Interpellare loquentem antequam fabulam absoluerit, inurbanum est. Cum nemine similitatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus. Per paucos tamen ad interioram familiaritatem recipiat, eosque cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum uelit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non præstes. Nullus autem est adeo lingue continentis, ut non habeat aliquem in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem est nihil admittere, cuius te pudeat si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid forte conspexeris audiuerisue, fac quod scis, nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri, parum ciuile est. Si fors te præsentem scrianium suum aperit aliquis, subducito te, nam inurbanum est inspicere, contrectare aliquid inurbanus. Item si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submoue te dissimulanter, & in eiusmodi colloquium ne te met ingeras non accitus.

DE LVSU.

In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruicacia rixarum parens, absit dolus, ac mendacium.

Nam

Nam ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias. Pulchrius uincit qui cedit contentioni, quam qui palmam obtinet. Arbitris ne reclamita. Si cū imperitiis certamen est, possisque semper uincere, non unquam te uinci patere, quo ludus sit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorem esse nescias. Animi causa ludendum est non lucri gratia. Aiunt puerorum indolem nusquam magis apparere, quam in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad uiolentiam, ad arrogantiam, propensius ingenium, hic emicat naturæ uitium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo quam in cōuiuio sui similis sit. Hæc Eras. Rote.

INSTITVTIO SCHOLAE NOSTRAE.

DE studijs pietatis.

IN primis pietati operam dare, admonemus omnes adulescētes nostros, quòd is finis esse debet omnium studiorum, ut regnū Dei quærat, Christo sic præcipiente. Math. 6. Sic enim fiet, ut non solum foelicius succedant studia, sed & alia nobis affluāt liberalius.

Igitur cum mane uentum fuerit in ludum, omnium primum oratio præmittitur, quam profert qui à præceptore fuerit designatus.

Inde quiete, attente, & arrectis auribus audiuntur præceptores disserentes.

Si quis susurrijs, aut indisciplinatis colloquijs lectionem turbauerit, uapulat.

CATECHESIOS PVERORVM

Omnes discipulos nostros hortamur, ut eruditionem sibi concilient solidam, & synceram, qua & sibi & alijs rectè consulere ualeant. Eò quòd indocti uix unquam rectè iudicant de rebus, atque tanquam alienis auribus audiunt (ut inquit Plinius) alienis oculis uident, & morum feritate, non ita multum à bestijs differunt.

DE AVTORIBVS.

Quia autem solida eruditio, non nisi optimis quoque authoribus paratur. Optimi autem habiti sunt hætenus eruditorum omnium iudicio. Cicero, Quintilianus, Salustius, Vergilius, Horatius, Terentius. Ex neotericis uero Erasmi omnia, & Philippica, ex ijs semper aliquid in manu habemus, quod uel fors obtulerit, uel magis uidetur expedire. Cætera deliramenta quibus sunt hætenus dementati pueri, procul ualere iubemus.

Secundæ classi sententias præscribimus Stobæanas, Plutarchi apophtegmata, Prouerbia Solomonis, Mimos Publii. Dicta sapientum. Cathonem Erasmi, Epistolas Apostolorum, quo cum imbibita religione, etiam ciuilem prudentiam, & morum honestatem hauriant pueri.

Synergis nostris commisimus, ut in singulis ad collectionibus, etiam prophanis, captata utrumque occasione, semper pium aliquid, uel quod ad uitam formandam spectauerit, instillent.

DE

DE EXERCITIO STYLI.

Singulis septimanis ter epistolæ redduntur, idque
 à duabus classibus primarijs.

Semel in mense declamatur.

DE LVDIS THEATRALIBVS.

Quia iam crebris experimentis perdidicimus, ut
 in alijs rebus, ita & in dicendo exercitationem pluri-
 mum ualere, tum præsertim ad audaciam parandã,
 pro consuetudine nostra pudicas comœdias & tra-
 gœdias recitamus, idque in publico, ut non tam dicen-
 do excitati euaderent pueri, quàm ut discant etiam
 coram plebe, & in cœtibus audacter loqui.

DE LINGVIS.

Græcæ linguae quotidie donamus diei horam
 unam.

Græca nostra hæc sunt. Grammatica Philippi,
 Lucianus, Homerus. Hesiodus, Sententiæ Stobeanæ,
 Cato græce, Socratis parænesis, Testamentum no-
 uum, & si quid est senètiarum apophthegmatum græ-
 corum, quod expedire & in rem iuuentutis uidebitur
 esse. Nam principia tantum & necessaria doce-
 mus, & fundamenta iacimus, non in palestrica ad
 plausum certamus.

Hebræa non magnificimus, quòd hæc serius dis-
 cenda sunt, iactis iam in latinis & græcis fundamen-
 tis.

CATECHESIOS PVERORVM.

DE MENDICIS & discolis.

Mendicos quia lex uetat diuagari, & rempublicam grauari, Deut. 15. huiusmodi collegio ex nostro arcemus, nisi quos bonæ fortasse spei deprehēdimus, nam de alijs compertum est, raro unquam in bonam frugem euadere.

DE INIDONEIS

ad literas, & stupidis.

Stupidos, balbos, insolentes, lufiores, indiligentes, incorrigibiles, intractabiles, pertinaces, expædotribanostra proscribimus.

Quattuor horis in die, aut ad summum quinque, pueros exercuisse, satis superque putamus.

DE LAXAMENTIS.

In hortulo obambulandi et discurrendi interdum libertatem facimus, tum ut animi fatigati laxentur, tum ut ad sequentia quoque alacriores pueri efficiantur. Habent enim hoc præclara & libera ingenia, ut concludi minime uelint, resiliantque si nimium arceantur.

Verum inter huiuscemodi ludos, admonemus singulos, ne quis lædat alium, ne quis furiose exclamet, ne quis septa prætergrediatur, ne quis damnum inferat, uel fenestris, aut alicui rei. Qui uero damnum dederit, pro mensura peccati, refert plagas, & sarcit damnum.

Omniño barbara iudicamus, aleam, tesseras, chartas

tas: tumultuari, cedere alios, uociferare, insanire.
Breuiter, ludos omnes inhonestos uetamus.

Omnes quoque licitationes & mercationes.

Qui luserit pro argento, simulatque deprehensus, scelere dignas refert plagas.

DE CRIMINE FVRTI.

Qui furto sustulerit rem alienam, & de crimine conuictus, simul & rem sublatam restituet, & publicam multam fert.

DE MENDACIO ET NOMINE

Dei prophanato, & impudicitia.

Qui nomen Dei sumpserit inuauum.

Qui temere iurauerit, qui spurcia effutiuerit, spectaculum sistitur toti scholæ, & plagis subinde expiatur delictum.

DE BENEVOLENTIA

& humanitate exhibenda.

Qui autem humanitatem profitemur, ac literas bonas, singulis præcipimus, ut beneuolentes sese exhibeant omnibus hominibus, nemini detractent, neminem lædant, læsi uero ipsi, iniuriam ne uindictent,

Prestantioribus honos ut habeatur, iubemus, similiter & magistratibus, senioribus, doctis, nobiles, & omnibus honore dignis. Id enim et uirtus ipsa meretur.

Deprehensos hac parte negligentiores, plagis multamus.

CATECHESIOS PVERORVM

DE VERECVNDIA, ET

Modestia.

Verecundiam quoque & modestiam exigimus in
uestitu, in incessu, denique rebus omnibus.

Pugiones & sicas nemo defert.

Dum sermo Dei annunciatur in Schola, singuli ta-
cent, qui mussauerit, pœnas dat.

Singulis Dominicis diebus concioni nostræ priua-
tæ, omnes adsunt, nisi quos iusta caussa excusauerit.

Vernacula lingua loqui, in ludo nostro piaculum
est, atque non nisi plagis expiatur.

Turbatores pacis, ut perniciosissimas pestes, ab
academia nostra extrudimus.

Acerrime etiam animaduertimus in eos, qui inso-
lenter & immodeste se gerunt in plateis.

DE MUSICA.

Musicæ donamus quotidie horam unam, eam
quæ est ab duodecima ad primam. Existimamus
enim nō modo ciuiliores inde futuros pueros, uerum
etiam ad alias disciplinas cordatiores, & paratio-
res, si in ea diligenter promouerint.

METHODVS ABCDARIOS PVE

ros instituendi.

Quemadmodum medico non est satis, nosse quod
pharmaci genus sit propinandum, nisi quibus etiam
consistat, perdidicerit. Ita preceptorem non satis est
esse

esse doctum, ac probum uirum, uerumetiam comitas quaedam & commoditas adsit oportet, qua & ferat ætatis quam tractat inscitiam, & semet ad illius naturam accommodet, nutricum uidelicet exemplo, qui in omnibus adeo puerorum moribus sese adfingunt.

Igitur ut puerum ad literas accendas, omnium est primum, quia non minus est accendere ad studium adulescentes quam alere. Facile autem multa discit, qui discendi est auidus. Contra, opera luditur & impensa, quibus animus prorsus nullus est ad literas.

Bona pars ingeniorum sic perit, quod ab stultis præceptoribus deterrentur potius, non alliciuntur.

Non parum promouit, qui docuerit uel amare etiam literas.

Primum itaque est, sonare literas, proximum legere, tertium scribere. (modo,

Simul & sonare, & pingere literas docebis hoc Absolutissimum propone exemplam quod effingant, maiuscularum scilicet & minuscularum literarum.

Maiuscularum exemplum adhuc cernimus in antiquis nummismatis Romanorum, quæ tēporibus Augusti & aliquot post hunc seculis excussa sunt. Minuscularum uero, quibus adhuc Itali utuntur, maiusculis non admodum dissimiles.

Illarum decor situs est in quatuor, in figura, in
contextu

CATECHESIOS PVERORVM

contextu, serie, & in proportione.

Figura non satis est, nisi etiam probè adaptentur, & æqualiter inter se cohæreant literæ.

Interuallum triplex est, primum quod diuellit uersum à uersu. Secundum quod literam à litera. Tertium quod dictionem à dictione dispecit.

Non inscite de hoc dixit quidam, apta distinctio, commentarij est uice.

Expedit igitur huic rei statim assuescere puerum, atque ita consuetudo in naturam uertetur, ut uel aliud cogitans, seruet tamen in scribendo huiusmodi notas, non aliter quàm literas.

Deinde singulis pictis, & literarum quoque ductus demonstrandus est, id sic recte efficies, si tuam manum manui pueri supponas, eam regendo & moderando.

Prodest & hoc, ut dixit Fabius, si in eburneis tabulis primum literæ simplices, mox sillabæ ac dictiones, deinde uersus aliquot scitissime insculpantur, ac per eos sulcos puer assuescat stylum ducere, donec frequens exercitium habitum pariat. Nam hac arte compertum est, & cæcos quosdam, scribendi artem sibi comparasse.

Eadem opera fiet, ut nec diuariet à recta linea, nec usque peccet, ab harmonia proportionis. Id enim facile pædotribis erat, q̄ in tabulis ceratis stylo scribebant. Nunc quoniam alia scribendi ratio est, aliaque

que

que methodus comminisci potest. Harum una est, si perfectum aliquod exemplum membranæ pellucidæ supponas, supra quam puer calamum ducat, sequens subuectas lineas.

Altera, si scribendo peritus stylo argenteo, cupreoue, uestigia literarum imprimat, deinde puer per eadem lineamenta ducat calamum aut pennam atramento madentem.

Eadem erit utilitas, si succo ligni cuiusdam figuras præscribas, leniter purpureas, quas puer tegat atramento, hic prioris scripturæ uestigia coarguet, quantum sit aberratum à præscripto.

Sunt qui hodie tabulis utuntur, quibus fila, fidesque glutino affixæ, linearum uestigia carthis admota imprimunt. Ea res non ita multum ad figurarum speciem, plurimum tamen conducit ad rectitudinem uersus, et ad proportionem horum superne inferneque prominentium.

Id commodissime fiet, si singuli uersus signentur quattuor lineis æqualibus interuallis, atque intra duas medias ducantur ipsa literarum corpora, que uero sursum ac deorsum, intra suum medium cohibebunt extremæ duæ.

Eadem arte licebit æqualibus spacijs dirimere uersum à uersu.

Verum ex ijs adminiculis, ut prodest exerceri puerum, ita non expedit semper ijs niti, sed ubi iam profecerit

CATECHESIOS PVERORVM

fecerit, consuescat absque cortice, quod dicitur, nata re, nec semper linearum ductum desideret.

Omnia tamen (ut breuiter dicam) ita tradenda pueris sunt, ut se ludere putent non studere. Quidam enim hæc tanta acerbitate docent, ut pueri prius discant odisse literas, quam nouisse.

Ad hæc iuuabit ad picturam interim non nihil exercere pueros, quòd ad eam artem plerique sua sponte feruntur, dum gaudent & exprimere quod agnoscunt, & agnoscere quod ab alijs expressum est.

DE CONCINNA LECTIONE.

Lectiois celeritas nisi primis statim annis pareatur, non temere contingit homini quantumuis adnita tur, uix autem fieri potest, ut lectioe delectetur, qui legendo hæret ac laborat.

Profuerit literulas, crustulis exprimere, & diuini nomen elementi premium polliceri. Premium hoc sit ipse cibus, uel si quid est aliud ludicrum.

Fabius aliud indicat huic simile, ut ex ebore fiant literarum formæ, atque ex ijs lusus aliquis proponatur pueris gratus, qualis est nucû seu talorum, quod nisi cognitis & prolatis literarum figuris, peragi non queat.

Idem effitient munuscula, quæ puerorum uestibus, ornatus gratia affiguntur, aut in manum dantur, ut cum uoluptate intueantur, contrectent & nominent.

Mox

Mox ad syllabarum connexionem procedendum est, hinc ad dictionum complexum, postremo ad orationis structuram.

Nec ante tempus affectanda celeritas est.

Prima cura sit, ut attente, & ut emendate legant, de quo Fabij est præceptum. Certa sit, inquit, in primis lectio, deinde coniuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata uelocitas.

Inter legendum, dum in dextrum flectit oculos, quodammodo præcurrat, diducta in duas res animi intentione, ut aliud agatur uoce, aliud prospectu, quemadmodum qui facit iter, non hoc intuetur quod calcatur, sed quod calcaturus est, hinc posteriora intuenti, priora

r. tanda sunt.

FINIS.

Max ad ...
est, sine ad ...
tionis ...
The aut ...
E ...
de quo ...
m ...
ex ...
Inter ...
p ...
m ...
p ...
m ...

TITVS





153762

ULB Halle 3
003 607 046





Sb.

AB. 153 762







CATE

CHESIS PVERORVM, IN
fide, literis & moribus. Ex proba-
tissimis quibusq; Authoribus.

Per Othonem Brun-
felsium.

*

FRANCOFVRTI, Apud
Christianum Egenolphum.

plattner Barthe: 1822

